ὥστε εἰ μὴ ἠγνόησε καταχεῖν ὁ δωδεκόμβος, ἀλλὰ προσεδόκησε βιάσασθαι τριήρη δακτύλοις; ἠλίθιον τὸ τόλμημα. εἰ δ' οἶδεν ὡς τὸ τῆς πείρας ἀδύνατον, ἀλλ' ὡς ἐν τοῖς ἀμηχάνοις τόλμα κρατεῖ, ἀλαζὼν ἡ προαίρεσις ἦν. ἢ ἐκ ἀσφαλὴς ὁδὸς ἀναίσχυντος ἡ ὑπόδειξις τοῦ ἀπόρου χήματος, ἢ ματαία ἡ σκέψις· διὸ ἔτε ἀλαζὼν ἔτε ἀνόητος ἡ ἀρετή. οἱοι δὲ ἢ τυφλοὶ πόνοι πάντες οἱ ὑπὲρ τὰς ἀδυνάτους ὑπονοίας. χρὴ δὲ ὁρᾶν ὑδὲν πρότερον, ὑδὲ τέχνην ἔργοις ὑπερεχομένην, ἔτε ἀρετὴν λόγοις ἀπειργομένην, ὡς τέλος τῆς ὑπολήψεως, εἰ δυνατόν ἐστι ἢ ληστὴν τῇ φύσει καὶ δυναμένῳ καὶ πρεσβυτέρῳ ἀνδρί. ἡ δὲ ναῦς ὅλη μεστὴ πλεονάζει καὶ τοσαύτης εἰρεσίας συγκεχυμένης; πῶς ἂν ὑπολήψιμος; πῶς ἀγώνιμος τοσούτῳ ὄγκῳ τῆς ἐλπίδος καὶ τῇ προσβολῇ τοῦ τολμήματος; ἢ μὴ τινὸς παικοῦ χήματος, τῆς ὑπονοίας τὸ ἄπειρον, καὶ τὸ μάταιον τῆς προσβολῆς, ἄφρον ἢ ἀπέραντον. εἰ ἀνδρὸς ὑ βουλομένου ναῦν λαβεῖν, ἀλλ' ἀπολλύσαι. ἔκοιμι ἀρετὴν ὅτι τὸ ἀνόητον τόλμαν νομίσει, ἀλλὰ μανίαν τινὰ ἄχρηστον ἀνθάδειαν. εἶποι δὲ ἄν τις εὖ φρονῶν αὐτῷ, τί ταῦτα μαραίνῃ, ὦ Κυναίγειρε; τί δ' ὑπολαμβάνεις ναῦν, κατέχειν ἀνθρωπίνῃ δεξιᾷ; τὸ τόλμημά σου φύσιν ἔχει; τίς τοῦτο Γλαῦκος πόντιος, τίς Τείτων ἐποίει; μόνον δυνάμενον μεγάλην ναῦν ἄγειν; ἢ Ποσειδῶνος δεξιὰ ἀνέμοις ἀμιλλᾶται;

ἔδεινοσήσῃς τοσούτῳ πλεόμαπι; συναπάξῃ σε ἡ
ναῦς πλέουσα: λήσῃ; ὡρ' μνης ἐξηρτημέ Θ, αἰ-
χμάλωτος ἀκεσολίου ῥυόμενος. γεγόασιν ὅπ'
ναυσὶ καὶ πολλαὶ μάχαι. τοιαύτῃσι καὶ Ὅμηρος
διηγήσαΘ· ὐδ' ἐκεῖν εἵλκέ τις ἐκείνας, ἀλλὰ
πῦρ ἐνέβαλλε, δᾳδας ἑκόμιζεν. αὕτη μάτη κα-
τέχῃ ναῦν ἡ λαβή. ὁ δ' σὸς, ὦ Εὐφορίων, ὑός.
μειράκιον Θλιμερὸν ἦν· καὶ τῷ μὴ σώματος κα-
τεφορέῃ, μάχεσθ δ' ἀβέλως ἠχ ἐπίσατο. οἵαν
ἀπώλεσεν εἰκῆ δεξιάν. διὰ ταῦτα Καλλίμαχος
μὴ ἁπάντων ἐτύγχανεν ὧν ἠθέλησε, πολλὰς ἀ-
φώπλισε, πάντας δ' ἐφόβησεν· ἐφύλαξε δὲ τὼ
ῥάπν καὶ τεθνεώς· ὁ δ' σὸς υἱὸς ὧδε τὼ ἐπίνοιαν
ἐκαρπώσαΘ. καὶ Καλλίμαχον μὴ ἐδεὶς ἀπέκ-
τεινεν, ἀλλὰ κοινὸν ἔργον τῆς Ἀσίας ἐγήρετο·
πάντα μὴ δόρατα ὅπ' τοῦτον ἦλθε, φαῦσαι καὶ
Καλλιμάχῳ φιλοπμούμενα· πάντα δ' ὀκόπα
καὶ πᾶσαι ἐκενώθησαν φαρέτραι βελῶν. ἅπαντα
δ' τοξεύματα ὠδὶ τοῦτ' ἔστι; μάρτυρά μοι τὼ
κοινωνίαν, καὶ πάντα ἀμφισβητούμενα ὠδὶ
τῷ νεκρῷ. Κυναιγείρῳ δ' τὼ χεῖρα ταύτῃν
ἀπέκοψαν ὥσπερ ξύλον. Καλλιμάχου μὴ ἡ
πόλις καὶ μάχη τοῦτο ἐβούλετο, νικῆσαι τὸν βα-
σιλέως στρατὸν, καὶ τῇ Ἀττικὴν ἀπὸς ἄβατον
εἶναι. Κυδαίγειρος δ' φύγοντας ὑμῖν τὰς βαρβά-
ρους αἱμαρεῖ· καὶ κατέσχεν ἐν τῇ χώρᾳ τὰς πολε-
μίους, καὶ μάχης ἔσεσθεν ἀρχὰς δυτέρας. πότε
ἂν ἄλλο ἐποίησε βασιλεὺς παρών; εἰς φύ-

γουσιν ἀνεδόα, καὶ τὰς Φοινίσσας ταῦς ἐκρέπει. ἄφες, ἄφες Κωναίγιρε, μὴ λαμβάνου. μὴ φῶσιν, ἂν λαμβάνῃς. πάλιν δὲ γοῦσιν ἑτέρας ἀποβάσῃς. μὴ κρέπει ταῦν ὑπὸ Παιὸς διδωγμένων, ἔχω ξίφεσι σὺ ὑπὸ Ἀθηναίας ἀφηλαμένης. ἀφίσιν αὐτὼν ἡ Δημήτηρ ἢ Κόρη φύγουσαι. πάρεσι Θησεὺς πάρεσιν Ἡρακλῆς, ἀλλ' ὃ κατέχουσι ταῦν, ὅτι μὴ συμφέρει. ἔχω δ' ὠδύματα συγγενῆ μᾶλλον σοῦ καταχεῖν δ' ὠάνθρακα· ἀλλά τὸ μὲν ἐκπέμπει τὸν πόλεμον ἀπὸ τῆς Ἀττικῆς διὰ τὼν δύνοιαν τὼν πρὸς ἡμᾶς· σὺ δ', ὦ Κωναίγιρε, ταύσαθμον μηδικὸν τὸν Μαραθῶνα ποιεῖς. ὦ Κωναίγιρε τὼν ναυμαχίαν νικήσῃ βασιλεὺς, τῆς μάχης μόνῳ Κωναγείρῳ ἔσεται χάριν. ἄπορον ποιεῖν αὐτῷ τὼν φυγὼν, ἀναλκείαν αὖτε τὼν νίκην ἐργάζετο. ἀλλὰ γὰ μετὰ τῆς χειρὸς ὡς διανοίας ἡμᾶς ἔβλαπτε· (τἀληθῆ γὰ ἐρήσεται) ἀλλὰ ἄλλως ἐμαίνετο. καὶ τὸν Καλλιμάχου τυχεῖν ὀρθῶν δόκιμον, ἐπιθύμει μὴ τὰ ἄλλου σχήματος ἀπολέσαι τὼν ἀλαζόνα δίξιαν, ὅπως ἂν ἐν γλύπταις Μαραθωνίων διηγημάτων. ἡμεῖς δ' οὔθ' ἑκόντες οὔτε ἄκοντες ὕδιν ἐβλάπτομεν. εἰ μὲν δὴ φαίντες ὅμοιοι Καλλιμάχου κατ' ἐκείνου ἐγένοντο τὼν ἡμέραν, ὕδεις ἂν λέφθη τῷ βαρβάρων, καὶ πάσας τὰς ναῦς ἂν αὐτῶν κενὰς εἴλομεν. εἰ δέ γε εἶδον εἰς τὰς Κωναγείρου λαβὰς, ἄκοντες ἂν ἅπαντες οἱ βάρβαροι
27. τὼν ἧτταν ἀνεκαλέσαντο. Κωναγείρου μὲν ὅσω

ὔτε θάρρος φίλοις, ὔτε δέος τοῖς πολεμίοις ἐγχέων ὃς δράτας ἔδ'εν, ἀλλ' ἀποτμηθεὶς τὴν χεῖρα, ἔπεσε δ' ὠδύς, ὥσπερ ἐπέφυν ἂν ἔχων, ἀλλ' ἐν τῇ δεξιᾷ τῆς ψυχῆς αὐτῷ καιμένης. τὸν δὲ ἐμὸν παῖδα οἱ φίλοι μὴ ὀρῶντες ἐν τῇ τάξει μένοντα, πάντες ἠδοῦτο· ζέσαντες δὲ ὑπαχώρουν οἱ βάρβαροι. καὶ τὸ σύνθημα, ὁ μὴ ἔπιστο, ὁ δὲ Ἄ. ἀθλητὰς δὲ εἶδ' τοὺς τραπώτας ὑπολαβόντες, πότερον στεφανώσομεν, τὸν ὀρθὸν, ἢ τὸν κείμενον; τὸν ἐσηκότα, ἢ τὸν ἐρριμμένον; ἢ παύσῃ σφαβάλλων ἀνδρὶ χεῖρα, καὶ ξαῦμα ἐν μυείοις, ἢ τὸν λειποταχτήσαντα τῷ μακροβίῳ νεκρῷ; καὶ τὸν ἡκροτηριασμένον, τῷ μέχρι νῦν ὁλοκλήρῳ; ὁ μὴ ἀφῆκε τὴν ναῦν, ὁ δ' ἐκρέπτει τῆς ἀσπίδος. λέγε νῦν, καὶ ξαγῳδεῖ πολλάκις. ἢ γὰ Αἰσχύλου πατρεῖ, ἢ τὴν χεῖρα ὅσος ἐποίεις, ἐκ γῆς ἀναμάχεις. Δάπις δὲ ἐκ θαλάττης ἐπιζομάχει. κατέσχε τὴν ναῦν. καλῶδιν τὸ ἔργον· ἄγκυρα τοῦτο κρεῖττον ποιεῖ. ὁ μὴ ἐλάβετο, ὁ δ' ἀπέκοψε. κατέσχε τοὺς πλέοντας. οἱ δὲ ὅμως ἐξέπλευσαν. ἄνδρες Ἀθηναῖοι, θεασάμενοι τὸ τραπόπεδον, τοὺς μὴ ἐρήσετε χειρῶν ἄνδρ, τοὺς δὲ ποδῶν. ἑτέρων μὴ ἐς, ἑτέρων δὲ κεφαλὰς ἀποτετμημένας τῷ ἄλλων σωμάτων. πολλοὺς ὁμοίους ὄψεσθε Κυναιγείρῳ νεκρούς· Καλλιμάχῳ δὲ οὐδένα· τίς γὰ ἰσοστάσιος νεκρός; τίς δὲ πτὸς ὅτω τραπώτης εἰς μάχλω; νῦν σε μᾶλλον, ὦ Καλλίμαχε τέκνον, ἐθαύμασα, Κυναιγείρου

πεσόντος ὑπὸ πληγῆς μιᾶς. ὦ πολλὰ τοιαῦτα
λαβὼν ζαύματα, & μὴ κεκινημένε. ὑδεὶς σε
Περσῶν δίελῶν ἄπεισιν, ὡς τῶν λοιπῶν αἰθερό-
παν τὰ σώματα, ὑκ ἀκινάκῃ Μηδικῷ, ὑ κοπίδι
Περσικῇ, ὑκ ἀχμῇ Βαβυλωνίᾳ, ὑ πελέκει Φοι-
νικίῳ. ὦ μόνε τῶν ἀποθανόντων ὑ πεσὼν, & μόνε
μὴ ζηλούμενε, ἔσῃ μαρτυρούμενος τῷ νίκῃ τῷ
χήματι· ἢ τ ψυχῆς ἀπελθούσης ὅμοιος ἦθα τῷ
μαχομένῳ. ὦ τῦ μεγάλου ζαύματος. νεῶ θεοῦ-
τος ἀθάνατος ὤφθη νεκρός. ὦπαῖ, μάντευμα ἄρα
κάλλους & τῆς μάχης τὸ ὄνομα λῶ. ἀνακάλῦ
νεῶ πολλὰ τ Κυναίγειρον, ᾧ & τὸ συνεβαν εἰ)
28. ὄνομα τῷ ἐρμηνεῦ βουλομένῳ, ὃς πάρεργον τοῖς
βαρβάροις ἐγένετο. ὁ δ' ἐμὸς υἱὸς δι' ἀρετῆς θερα-
πείαν, ἢ τ μάχης ὅλης ἐκράτησε, & τ νεῶ τελου-
μένης πομπῆς γέγονεν αἴτιος. τῶν γὰρ ἄλλων πολε-
μάρχων δίκαιαν ἐπιθεμένων τῷ πλήθει, ἡ ζύγου
φῆφος θεσπιζομένη τῷ ὅλῳ συμβολῇ ἐποιη-
σε, & ὅπως δεῖ ἀπομάχεσθαι ἢ τόλμαν ἐκύρωσεν.
ὥστε παντὸς ἂν καὶ μέρους ἢ μάλιστα τῦ κατορ-
θώματος αἴτιος νομίζοιτο. ἢ τῦτο μὲν αὐτῷ θεὸς
πάντας ὅσῖ· ὧρος ἦν τ Κυναιγείρου, καὶ μάλιστα.
τῷ ἑνὶ γὰρ ζύγῳ σε καὶ ἀνανταγωνίστῳ νικήσομαι
ἐφεστήκατι. Κυναίγειρος θαυμαστὸς & ὁλοκλῆρος
ἦν ἀνήρ· ὑ μάχει τῷ βίῳ, ὑ μάχει τ ψυχῇ. ἀλλ'
ὡμολόγησεν θάνατον, & τῷ κοινῷ τῆς φύσεως
ἐπείθη νόμῳ. Καλλιμάχῳ δὲ ἡ ἀρετὸς ὅσῖ καὶ
φύσεως θειοτέρα μοίρα, ἢ τ ψυχὴν ὑφῄρηται.

ἀγαθοὺς μὲν γὰρ στρατώτας πολλοὺς ἀφῆκας Μακεδόνας· Καλλίμαχον δὲ, ἀνείκαστον τῇ ἐν τῷ βίῳ μόνον μεμαχημένον. τὸν μηδὲν τῷ θανάτῳ καμόντα, ἀλλὰ καὶ μὴ τὸν βίον ἄνδρα ἀγαθὸν, καὶ τοὺς κοινοὺς τῆς φύσεως καὶ ἀρετῆς παρελθόντα ὅρους. ὦ καὶ Καλλίμαχε καὶ καλλίνικε, ἄξωτε καὶ πολύξωτε, πῶς σε ἄν τις ἐπαινέσῃ καὶ τοῦ ἀξίαν; ἃ γὰρ Αἰσχύλου καὶ τῆς τοιούτων ποιητῆς καὶ ῥητόρων ἄξιος, ἀλλά τινα Ὁμήρου ξαγῳδίας, ἢ ξαγικῆς φωνῆς. ὦ κοινὲ Ἀσίας σκοπὲ, ὦ συλλύσας τῷ θανάτῳ τοῦ στρατὰν βασιλέως, καὶ πλεῖστα λάφυρα τῆς βαρβάρων τὰ θέλη καταχών· ὦ σεμνὸν ἀνάθημα πολέμου, ὦ καλὸν Ἄρεως ἄγαλμα. ὦ πολέμαρχε πολεμάρχου θεοῦ δεινόν εἴδωλον, τῆς Ἀσίας τὰ τοξεύματα φεύγειν ἐλημένον. ὦ μόνος ἐναντίος τοῦ τοῦ πολέμου σοφοῦ. ὦ χῆμα ἐλευθέριον, ὦ χῆμα Μαραθώνιον. ὦ μὴ κλίνας τοῦ Ἑλλάδα, ὦ τῆς φύσεως θειοτέρε. ὦ δύο μεγάλας μάχας Δαρείῳ καὶ θανάτῳ μεμαχημένε· ὦ κοινὸν καὶ ζώντων καὶ νεκρῶν κατόρθωμα, ὦ μὴ μὴ ζώντων τοῦ ἀρετοῦ ἀφείς. ὦ φεύγημα πλέον τοῦ βίου. ὦ νεκρὲ τῆς ζώντων μαχιμώτερε. εἶχεν ἄρα ψυχὴ ἀείσην καὶ νεκρὸς, καὶ δυτέραν καὶ μείζην δόξαν τῆς οἰκείας δυνάμεως πολεμοῦσαν καὶ ἀγωνιζομένου. ὦ θεσπέσιος ἡμῖν δείξας ἀνθρώπων, νεκρὸν μάχου. ὦ θανάτῳ τοὺς θεοὺς βίον ἔχοντας ἕλκων ὑπὸ δουλοσύνην. τὰ μὲν γὰρ ἄλλα πάντα ἔοικεν ὁ29

Καλλίμαχος τῷ πολέμῳ ἢ θνήσκων, ὡς στρατιώτης παῖδος ὑπερμαχῶν, ἀθάνατον τὸ σῶμα μὴ τῷ σχήματος ἔσησεν. ἔμεινε γὰρ, ὡς ὡμολόγησε τῇ ψυχῇ. ὦ μεγάλη σάσις, ὦ τῇ γῇ σύμψυχε. ὦ ῥίζαι ἐξ ἀρετῆς βαλόμενος, ὦ φυτὸν Μαραθώνιον. ὦ νήσων βεβαιότερε ⁊ θνήτων λαμπρότερε. τοῖς βαρβάροις μὲν ἐρίζια ἡρπασμένη πλεῖ, καὶ Νάξος αὖ τανδρος ἐν ταῖς ναυσὶν ἐτέθη· Καλλίμαχος δὲ ἀκίνητός ἐστι, τῇ ὀρθῇ στασιώτερος, ⁊ τῇ σκοπίλων βεβαιότερος. ⁊ γῆ μὲν ἐσείθη πολλάκις, ⁊ νήσους ὅλας εἶδον ἄνεμοι φερομένας· τὸν δὲ ἕνα νεκρὸν ὁ ζοῦβος οὐ διέσεισε πόλεμος. ὦ τεῖχος Ἀττικῆς ἀρετῆς. ὦ μέγιστον τῶν Μαραθωνίων θαυμάτων ⁊ θηόπαθον, ὦ τῇ ἐκεῖ φασμάτων ἐξαίρετον. ἔστι νεκρὸς ἐν σχήμασιν ἐν τῇ αὐτῇ στάσει, νεκρὸς τὸν θάνατον ἀπισούμενος, αἰσχυνόμενος πεσεῖν· ⁊ γέγονεν ἔμψυχος, πεθνεὼς ὤν. ὦ βλέπων, ὦ μιμούμενον τῆς ψυχῆς τὴν ὁδόν. ἐγὼ ⁊ τὴν ψυχὴν ἐν τἀφανεῖ οἶμαι τότε συμμάχεσθαι, καὶ παροῦσαν ἐγυάσθαι ἀνέχειν τὸ σῶμα. ὦ μεγάλῳ φάσματι κεκοσμημένε. τοιοῦτος δὲ Πολύζηλος, ἐκεῖνο τὸ θαῦμα Καλλίμαχος ἦν μὲν γὰρ ⁊ ζῶν ἔτι, δεινὸς τοῖς πολεμίοις· καὶ
30. ἀκόρεστον μάχης, ἔστηκε βοᾶν, ὦ Δαρείου δοῦλοι βάρβαροι, καὶ Σκύθαι ταῦτα, οὐδὲ ποταμὸς, οὐδὲ πλάνης ὅμιλος, οὐδὲ ἅμαξαι ζηλούμεναι· ἀλλ' Ἀττικὴ καὶ Πελοπιδῶν. ἐν ταύτῃ ἔστηκα, καὶ θερμένων τὰς θερμὰς ἀπόλυται· ⁊ πολλὰ βυλ-

λόμβος ⸫ τοξοδόμβος, ὥς τισιν ἄνθεσι στεφανούμενος, λέγω βάλλετε, μὴ φείδεσθε. τί δ' ἐ βάλλετε; ἐγὼ δέομαι βελῶν· ἐπεὶ χωρεῖ τὸ σῶμα, τόπον ὑγιῆ ἔχον. τί τὲς ἀθλίους Ναξίους, τί τὲς ταλαιπώρους Ἐρεξείς ἐμοὶ φείσησθε; ἐμοὶ τὸ τῦ πολέμου δίκτυον φερτέον. τίς Δάπις; τίς Ἰνδοφέρνης; ἰδοὺ ὦ πάντες, ἐγὼ ἕτοιμος. θυέτω μέ τις. εἰ δ' ὠάτην Βαπλῶς σαλπιδυσάτω, εἰ ἔξεστιν. ἐπεὶ δὲ πᾶς ἀνὴρ ὅλα τὰ βέλη ἐς αὐτὸν ἔπηξεν, ἔχαιρε, λέγων πρὸς ἑαυτόν, τλῆ Ἀσίαν ἀπεδύσαμην. καὶ τοῖς συρραπώταις παρήγγελλε, παίετε κατακεντοῦντες αὐτές, ⸫ μὴ φείδεσθε. ὑκέτι γὰρ ἔχουσι βέλη γυμνὲς ὑμῖν αὐτὲς ἐπίοσα. οἱ δὲ βάρβαροι, πάντες μὲν ἐπιεφόνθο, κὴ πᾶς ἔβαλλεν, κινῆσαι δ' ἐδέν ἠδύνατο ὑδὲ καθελεῖν τὸν ἄνδρα πεπηγότα· οἱ τὰ μεγάλα καθελόντες ποτὲ χώματα, οἱ βιασάμενοι τὸν Βόσπορον ἄγαν ὀνταρσίης, καὶ Σκυθικὴν θάλασσαν· ἀλλὰ πᾶς μὲν ἔβαλλε ⸫ πᾶς ἐφονᾶτο, κὴ τῷ Καλλιμάχῳ προσέπιπτεν, ὃς καθάπερ προγενεδικόν λίθῳ προὸς θάλασσαν ἐρείσας τὸ ἑαυτῦ σῶμα, τελευταῖον ζῶντον εἶπε λόγον προὸς ἑαυτόν, σῆθι Καλλίμαχε ἀκίνητος. οἱ δὲ, ὥσπερ τίχει προσβαλόντες καρτερῷ, πλέον ὑδὲν ἔδρων. ἐκρύπτετο γὰρ ὑπὸ τῆς πολλῶν προσβολῆς. ἔνθα δὴ πολλοὶ μὲν κάμνοντες ὑπὸ τ Καλλιμάχυ βλημάτων ἀπώλοντο, κὴ πολλοὶ παρ' αὐτὸν ἔπιπτον ἐσηκότα. Δάπις δὲ ὀφῶν ὠρχίζετο 31.

τῷ νεκρῷ. & τοῖς βαρβάροις ἐπεκελεύετο, ὑπλίτας ὄντας, οὐκ ἀναιρήσετε τὸ φιλόνεικον νεκρόν; ἄνθρωποι δαιμόνιε μὴ τοσούτων αἰχμὴν ποσεῖν; ἔτι μένεις; ἔτι μάχῃ; πόσας ἔτι ψυχὰς ἔχεις; ὄιμοι τίνα νεκρὸς ἡμᾶς Ἀθηναῖος. ἄνδρες μηκέτι βάλλετε. ἀποθνήσκοντες Ἀθηναῖοι, γίνονται μαχιμώτεροι. ὦ δέσποτα Δαρεῖε, τίς σε ἐξηπάτησεν; ἐπ' ἀθανάτους ἀνθρώπους ἡμᾶς ἔπεμψας, ποσεῖν οὐκ εἰδότας. αἱ δοκοῦμαι Μήδοις & Πέρσαις & μαχαιστέχναι ἀνδράσιν, Ἀθηναίων δὲ οἱ νεκροὶ μάχονται καὶ αὐτοῖς, & δεξιὰ νεκρὸς πολεμοῦσα μέσης τῆς μάχης ἐγένετο.
32. Βασιλεὺς ἦ ἰδὼν αὐτὸν ὀρθὸν, ὅπλοις πολλοῖς περιβεβλημένον, ἐβόα, φεύγωμεν, πλέωμεν. ἤδη γὰρ ἦλεαν Ἀθηναῖοι ξόανον τοιαῦτα τέκνον παρέχες βαρβάροις δόγματα. ὦ σεμνὸν πολέμου πέρας. ὦ τῆς συμμάχων θεῶν ἄξιον θέαμα. σοὶ μὲν ὁ Πὰν ἐβοήθησε, σοὶ δ' Ἥρα συνεπέθετο, & Παλλὰς ἐφρόντισεν. σοὶ σε μὲν ἔση Ἡρακλῆς ἔση δ' Θησεὺς σεμνυνόμενος. σὲ δ' χρὴ καὶ σωφρονοῦντ' τῆς Μαραθῶνι κειμένων, καὶ τὰ πατέρα τὰ σὸν ὅπλ' σοί τε καὶ τοῖς σοῖς στρατιώταις ἀγορεύειν λόγον ἁρμόττει. εἶεν, ὦ Εὐφορίων, ἀπελθὼν τὸν σεαυτοῦ νεκρὸν, τὰ χαμαὶ, τὸν ἐν ὅπλῳ νεκρὸν καὶ πεπτωκότα, θάπτε & θάπτε τὸν χεῖρα ἣν τῷ πελέκει τις ἀπέκοψε. τὸ Κυναγείρου δεξιὰν ὅπλῳ γυναικῶν τις ἔσεμψε, οὐκ αὐτῷ ὑπάρχουσαν, ἐκείνῳ δέ. ἀκρόπολιν γὰρ ἔσαν τῆς νεὼς ἀπέκο-

ψει αὐτίω, καὶ τῷ ἀπειλητήριον λήκυθον ἐπέχε 33.
τίω γλῶσσαν, ὡς ἔσαν τῷ ἄλλων μερῶν ἀκρατεστέρων. αἱ μὲν γὰρ ἄλλαι δεξιαὶ τῷ στρατιωτῷ πρὸ τῆς ἱερῶν θυρῶν ἔμειναν, κἀγὼ ἀστράπτων ἐχόμην τῆς λαβῆς χήμαπι· ἡ δὲ τῆς θρύμνης ἀπεκρούσθη, μήτε ξύλου καταχῶσα ἰδοτίν. οὐδέ, ὦ τέκνον, ἐτίω παλαιὰν δόξαν τοῦ σοῦ πρόσω γλῶσσαν ὄπισθεν. αὐτόχθονες μὲν ἐσμὲν ὡς ἀληθῶς, ξεῖς παῖδες παλαιοί· ἔτως ἀνέχε Καλλίμαχον ἡ μήτηρ, γλυκάδαν ἔπολαμπρὸν, καὶ τόσον ὑπὲρ τῆς παῖδος αὐθάδη, ὡς ὑπὲρ αὐτῆς πρέπει οἱ ἐπὶ θαύματι τίω ψυχήν. ἐμὸν ζηλῶ, ὦ Εὐφορίων, εἰπὲ τὸ ζῆς ὄπλοφίοις πρέπον τὸν παῖδα κοσμεῖν, καὶ τίω ὄπλίκιον ζηλοῦν. οὐδὲ τὸν σὸν μεθύστερον θρήνει, συγχωρήσων τῷ δικαίων.

EX LIBRO M. T. CICERONIS DE OPTIMO GENERE ORATORVM.

CONVERTI ex Atticis duorum eloquentissimorum nobilissimas orationes inter se contrarias Æschinis Demosthenisque: nec conuerti vt interpres, sed vt orator, sententiis iisdem & earum formis tamquam figuris, verbis ad nostram consuetudinem aptis: in quibus non verbum verbo necesse habui reddere, sed genus omnium verborum, vimque seruaui. Non enim ea me annumerare Lectori putaui oportere, sed tamquam appendere.

Et paulò post.

Quorum ego orationes si, vt spero, ita expressero virtutibus vtens illorum omnibus, id est sententiis, & earum figuris, & rerum ordine verba persequens eatenus vt ea non abhorreant à more nostro: quæ si é Græcis omnia conuersa non erunt, tamen vt generis eiusdem sint elaborauimus, &c.

De Argumento huius Controuersiæ, Cynagiro, inquam, & Callimacho; déque Marathoniâ pugnâ, consulendus Herodoti liber sextus.

POLE-

POLEMONIS SOPHISTÆ, LAVDATIONES FVNEBRES IN CYNÆGIRVM ET CALLIMACHVM Latinâ Paraphrasi, nunc primùm explicatæ.

Mos cum esset Athenis lege sancitus vt qui omnium honestissimè in bello cecidisset, eius Pater ad commune sepulcrum desideratorum proximo bello ciuium Orationem haberet funebrem, Callimachi & Cynægiri Patres, vtrius id munus esset iudicio disceptant.

CYNÆGIRI PATER.

QVANDOQVIDEM in procurando solemnibus cerimonijs fortissimorum ciuium funere, cum alia multa obseruanda ritè sunt; tum illud est legitimè constitutum, vt

qui defunctorum merita celebraturus oratione sit, is ad illos domesticâ necessitudine & communione sanguinis attineat: aio ad me vtique omnium potissimùm id officium spectare qui Cynægiri Parer sim, hoc est, qui palmam ac florem ipsum eorum qui ad Marathonem periclitati sunt, ex meis visceribus editum saluti gloriæque ciuitatis impenderim: iuuenem eâ indole animi, eâ vi naturæ, vt eius in frusta concisi trunca ipsa discerptáque membra dimicauerint cum Barbaris. Ac æquum quidem censeo Callimachum, qui virtutis in eo certamine secundas tulit, laudis suæ portione non defraudari. Cæterùm tanto iustius est mihi quam illius Patri ad commune sepulcrum concionem dari, quanto maiori honore dignus est Cynægirus quam Callimachus; hoc est, expeditus, in procinctu, adeóque ardens in opere miles, quam exangue ac frigidum cadauer, labore iuxta periculoque omni simul cum vitâ, quantumuis gloriosâ morte defunctum. In summâ quanto præstantior animi virtus, habitu corporis. Cuius si mei voti, pro eo ac dignum est, compos fuero, omni accuratione in eo argumento dicendi versandum mihi iam nunc statuo: non priuatâ laudum cupiditate quæ

mei filij propriæ sunt; tamquam illæ nisi ego dicerem saluæ illi non essent futuræ (cuicumque enim tandem perorandi partes tribuantur, is sermonis vtique sui partẽ ornando Cynægiro vel maximã attribuet) sed si quid in me huiꝰ generis facultatis est, id quantulũcumq; est in communem gloriã cõmendandis optimis ciuibus, quorũ istud sepulcrum reliquias colligit totum effundere posse, in summæ felicitatis parte numerabo. Nam illis quoque amplum certè & glorioſum est Cynægiri Patrem ad funus adhiberi laudatorem; Quippe ita manus omnium eâdem cũ Cynægiri dexterâ laude censebuntur; sin vero infestus me casus aliquis spe tam æquâ deiecerit, sic habetote, nostris hisce contentionibus ambitioſis filiorum ornamenta & decora, fructum mortis atque victoriæ simul cum meâ causâ periclitari. Videte autem quanto dignior Cynægirus sit qui sepultus vincat, quando & vincens mortuus est? Porrò cum vterque nostrum præsidium omne obtinendæ causæ huius in virtute filij constitutum habeamus: sit que illa vnà res in quâ hoc iudicio niti oporteat ad vincendi spem, vt comparandis facinoribus duorum, vnius maximam præ cæteris extitisse fortitudinẽ

euincatur: nullo, opinor, modo hæc facinorum contentio aut instituí commodius aut dijudicari potest certius quam si, quid ab illorum vtroque gestum in acie sit narratione declaretur. Actuum quidem Callimachum militaris ipse certè quem gerebat magistratus Marathonem abripuit vel inuitum ad Barbarorum exscendentium vim propulsandam. Cynægirus vero solâ virtute & generositate animi, cũ vix egressus ex ephebis, legitimam haberet excusationem ætatis, ante militare tempus, voluntarius miles ad expeditionem profectus vltrò est: non sacramento, non lege, non necessitate, non vi, non spe denique vllâ aliâ, aut amore incitatus nisi magni cuiusdam edendi facinoris, & sempiternæ gloriæ consequendæ. In ipsâ deinde pugnâ cum omnes, quantum in acie Marathoniâ nostrorum vel ciuium vel sociorum stetit; quousque Mars in conflictu pigneratus est, quousque nostra nobis fortuna seruauit, nihil ad summam sibi fortitudinem reliqui fecerunt: tum vero duorum præsertim, mei, & istius filij, tanta virtus extitit, vt admiratione mortalium omnium multò dignissima videretur. At huius quidem filius telis cum sese hostilibus induisset, sagittis iacu-

liſque innumerabilibus circumfuſæ multitudinis affixus eſt : ideóque in illâ ſtantis gloriosâ ſpecie moriens perſtitit; viſuſque eſt virtute quâdam ſuâ ſtare, cum cadere ne poſſet quidem. Atque huc tandem redit ſplendor omnis Callimachi : hic eius ille clarus interitus, & inani ſolum ſpecie commendabilis habitus viuẽtis in mortuo corpore. At meus Cynægirus perruptâ ſuperatâ que phalange hoſtium ſine vllo deinde metu procurrens in ipſum vſque maris littus ſuæ fortitudinis elatus æſtu irruit, quò maxima iam ac pugnaciſſima pars hoſtilis exercitus ſe receperat. Ibi licet propè nudus, ſolius virtutis armis fortiſſimè dimicãs inuaſit in mare ; primuſque adeo hominum nauale prælium ex terra laceſſiuit. Ac multas quidem alias naues incuſſo terrore auertit in fugam ; vnam autem Phœniſſam quandam magna illâ ſuâ in carinam iniectâ manu tenuit, ne fugam quidem regiæ claſſi permittendam ratus. Longo igitur tempore coërcita nauis ſtetit, defixa conſtrictáq;, tamquam rudente, Cynægiri dexterâ. Quâ deinde abſciſsâ, adiecit ille alteram ; & ad ſingula Cynægiri membra atrox erat Barbaris exantlanda dimicatio. Hâc quoque alterâ porrò abſciſsâ manu, reliquus Gynæ-

girus ſuis ipſius manibus partæ victoriæ trophæum ſtetit. Intereáque dum ille truncus & ſemianimis de Naturâ querebatur tamquam egenâ; & inſtrumentis illuſtriũ operum malignè exiliterque inſtructâ, fugientibus enixè Barbaris abrupta licet dextra ſemel arreptam tenebat adhuc proram: citiuſque emiſit animam Cynægirus quam nauim dextera. Vbi illud contigit mirabile vt Cynægirus ſine manibus cum nauibus pugnaret; manus autem ſine Cynægiro fugitiuis inſtaret hoſtibus. Diuiſum porrò Terræ marique iaceret cadauer vnum, cui vtrique elemento ſuis vnius membris explendo ſuffecerat. Hæc mihi rem conficiunt. Hæc victoriam ſpondent. His tantis de cauſis mihi potiſſimùm tribui dicendi partes ius faſque eſſe cõtendo. A me enim vtique, qui alioqui induſtriam in dicendo meam multis antea probauerim, à me, inquam, ornari ſepulcrali encomio monumẽtum hoc debet, quod mortuo illo meo, vno ſimul & multiplici ſuppeditando, nobiliſſimum reddidi. At hic Tribuni militaris ſe Patrem ait eſſe. Me vero vnius tãtum cuiuſdam de turba militis. Quid eſt igitur cur hunc etiam honorem apperat qui illo alio tanto, tamque amplo ſit potitus? A

qui vt ille cladis domesticæ præclaram habet consolationem magistratum filij, familiæ decus, nomen imperij: sic ego mihi certè huius qualiscumq; honoris solatium paterno desiderio permulcendo non inuideri meo iure fecero si flagitem. Iam in illo quidem adipiscendo magistratu vis sortis & casus temeritas versata quædam est; quæ ab hâc contentione virtutis remouenda est procul. An enim sic existimas; virtutis semper prærogatiuam & meriti demandādis honoribus sequi solere Fortunam: signumque certissimum veræ laudis eius qui nactus sit imperium, iudicium sortis haberi debere? At qui nostra omnis in contentione rerum gestarum, non in ambitiosâ iactatione nominum disputatio versatur. Vt illa sortitio militaris Magistratus aliquid forsitan ad tuum solatium, ad causam quidem susceptæ contentionis attineat nihil. Quemuis enim alium vel ignauissimum ad eam potestatem vocare potuit beneficium sortis. Quod si esset factum, gereret ille sanè Magistratum, catenus quippe sortis arbitrium est, magna quidem opera & illustria facinora, quæ virtutis solius ac fortitudinis sunt, illa infirmitas non attingeret, aut omnino cogitaret. Iam ipsa consuetu-

do & communis vſus, qui vnus optimus interpres habetur legum, ſatis apertè declarauit ſolemne huius laudationis munus ad Tribunorum Militarium, vel Imperatorum cognatos aut gentiles tamquã aliquid peculiare ac proprium velut ex officio non pertinere. Si enim hoc ita eſſet, pridem id videlicet conſtitutum & præiudicatum fuiſſet; neque vllus hodiè huic quæſtioni locus relinqueretur. Quare ego ſic ſtatuo, atque hoc iu meâ oratione pono: nullius obnoxiam prærogatiuæ dignitatis in eo munere demandando poteſtatem populi eſſe: & cuiuis omnium tametſi is neque Tribunus neque Tribuni filius aut Pater ſit committi partes dicendi poſſe. Ac idem tamen cenſeo eius in hoc potiſſimum habendam eſſe rationem qui primas in bello virtutis tulit. Nunc qui eos ſibi fines circumſcripſerit, eum video ad iuſtiſſimam de hoc dicendi munere contentionem Miltiadem prouocaſſe. Huius enim cum ſummam omnes intelligunt in eo prælio extitiſſe virtutem: tum ſi quid etiam vtendum eſt lege aduerſarij, idem Imperator fuit, quæ eſt poteſtas Tribunitiâ haud paulo amplior: cæterum eo Patre editus qui ſummam & ipſe in alio bello poteſtatem egre-

giè administrasset. Quãquam hoc quidem ab hoc tempore & ab hâc disputatione remotiùs est. Iam hic vir talis ac tantus cum ab hâc contentione se abstinuerit nobisque concesserit, satis, opinor, declarauit, non ab excelso progressos honoris gradu quem ille summum obtinuit, sed ab excellenti virtute, quâ tametsi cessit nemini, tamen suus ipsum pudor prædicare vetat, in hunc dicendi locum inuadere oportere. Age igitur hac lege causa ab vtróque nostrum; hac lege ius nobis dicatur: quando tot illos aspicis &, quod tuus filius fuit, Tribunos; &, quo tantoperè te iactas Tribunorũ Patres, tamen ab huius laudis contentione conquiescere: qui si in commemoratione dignitatis aliquam ad huius causæ victoriã spem collocassent: næ nos ambo haberemus eos vehementes competitores honoris, non, vt modo sunt, æquos disceptatores controuersiæ. Ego tamen non malignè agam tecum. Non ita laudem omnem filij tui necessitati impositi Magistratus tribuam nullum vt locum relinquam virtuti. Fuit in illo sanè quædam, extitit etiam atq; eluxit vir ingens animi. Etenim cum implere præclarè nomen imperij, & defungi cumulatè potestatis officio potuisset si mo-

do in prima acie constitisset. tamen & stationem ordinis necessariam alacritate liberæ constantiæ commendauit: & pẽsum officij, debitamque sorti, expectationi, iudicijs hominum, operam, voluntarij facinoris accessione cumulauit. Meus vero nõ respectu non conscientia potestatis, neque in militaris imperij fastigio omnium oculis & iudicijs propositus: neque nomen impositæ dignitatis, sed insitæ sibi virtutis omen & auspicia, liberumque ductum expedita alacritate secutus, eum in apicem gloriæ clarissimis edendis inusitatæ fortitudinis documentis aspirauit, quẽ omnes scitis. Itaque Callimachum quidem lex stare coegit in acie: Cynægirum consilium generosæ mentis eduxit in Barbaros. Et ille quidem si pelliculæ timuisset suæ; si consulere timiditati ignauiâ voluisset omnium in se conuersos oculos non poterat fallere: huic meo, si remisse re gerendâ salutis quam gloriæ rationem habere maluisset, obscuritas anteactæ vitæ præclarum tegumentum obtendebat inertiæ. Ad hæc maior natu Callimachus, & rerum vsu, & firmitate virium majore, desiderio minori sollicitatus vitæ, quâ diutius fruitus erat, & breuiores iam eius reliquias adeundo peri-

culo contemnens, multa sanè habuit incitamenta omnis generis ad vnam laudem; neque quidquam mirum si tantis totque vnum animum perurgentibus stimulis ad flammam periculi splendore prouocatus affulgentis gloriæ accedere propius ausus est. Adolescentulus vero Cynægirus vixdum egressus ex Ephebis; non ita procul à carceribus longè amplius curriculum despiciens vitæ, magnanimitate vtique maiori spem diuturnæ vitæ, summis patriæ temporibus præsentis momento gloriæ cõmutauit. Cuius laudis, sola inductio generosæ mentis, & incredibilis constantiæ robore septus iuuenilis animus se fretus vno, decus omne ac meritum tulit. Nullam hinc sibi partem experientia, in rudi rerum adolescentulo: nullam robur corporis in illâ ætatis infirmitate decerpit: Nisi si quis hæsitationem imperitæ adolescentiæ; imbecillitatem nondum corroboratę iuuentutis, magnum quoddam ad magna audenda addere stimulum & momentum credat potuisse. Prætereà Callimachus primo haustus pugnæ impetu perijt; vel in ipso certe ardore certaminis, cum penderet adhuc incerta victoria: quâ ille opportunâ morte multis sanè grauissimis qui superabant, la-

boribus suâ quadam fortunâ subtractus est Cynægiro non breuis quidam & citò euanescens, sed æqualis pugnæ quanta fuit spiritus ad fugam vsque suffecit hostium. Vt illius virtus quadam tantum pugnæ particulâ probata sit: huius confecta fortitudine res omnis, ac debellatum fuerit. Ille in medio tumultu & trepidatione omnium obriguit: & stat defixus adhuc. At Cynægirus impactam in mare confregit Asiam. Atqui egebat illa sanè pugnâ non congelatis & adstrictis, sed ex peditis & instantibus militibus. Cæterum fortitudinis, magnanimitatis, industriæ, roboris, consilij, mentis, tot virtutum opus est hostes persequi. At in vno vt quis perstet defixus vestigio stupore plerumque & inerti metu fit. Quid quod prior mortuus Callimachus est, Cynægirus postea. Nempe & pro corpore Callimachi pugnauit viuus. Et eius nunc beneficio honore fruitur huius funeris Callimachus. Vt omittam Callimachum ex ijs quæ passus sit insignem euasisse; quem sylua telorum hostilium tot, ne caderet, tibicinibus fulcijt; Cynægirum ex ijs quæ fecit adeptum laudem, qui manus suas tamquam armatas classes post Barbaros misit; ne vulgus quidem nauticum ac remiges Phœ-

nicum à visuâ atque impetu immunes volens. Quantò igitur agere quam pati tum in se nobilius, tum in commune vtilius est; tantò laude & admiratione dignus maiori Cynægirus quam Callimachus. Nam certè vigens ipsum ac spirans consilium, atque impetus ad præclara ruentis animi, magis propria laus est, & sanè dignior cuius in æquo iudicio ratio potissimum habeatur, quam si quid erit à casus temeritate commodè comparatum. Cynægirus enim volens videns que ad certissimum periculum manus suas audaci illo patrando facinore projecit. Callimacho status ille minax à telorum ingruenti congerie improuisus incidit non volenti. Neque vero ille ex alacritate animi se deuouit vltro, aut manus hostium in sua vulnera prouocauit, vt fecit Cynægirus, tum cum extendit in nauem manus. Itaque quod in Callimacho admiratione dignatur, id mortuum dem quiddam est & sensu cassum. Stetisse quippe post mortem rigidum, speciem quandam ad aspectum habuit inanem, ad veræ quidem laudis prædicationem momentum nullum obtinet: cum satis constet inanimam non esse virtutem. At Cynægirus videns & sciens & doloribus acerrimis cum

dextra abscinderetur pro salute & gloriâ totius exercitus inuictæ patientiæ robore ex hauriendis, firmitate exaggeratæ constantiâ, decus virtutis, gloriam ciuitatis, spem sempiternæ laudis, omnis acerbitatis sensu antiquiorem habuit. Vt hic quidem ab necessarijs suis & ab aduersarijs, à me téque, imo æquè ab omnibus, & ob eaquæ passus sit admirandus, & laudandus idem videatur ob ea quæ gesserit. Quod si etiam oportet nihil tergi versantem liberè id dicere quod res est, inopinata illa ac tantoperè deprædicata Callimachi mortui statio nihil quidem est. Nihil enim iam is prorsus agere omnium potest qui animam semel egit. Cynægiri quod laudatur facinus à viuente ac vidente, tanto periculo tanto animo gestum mera virtus & fortitudo fuit. Enimuero Callimachi splendor omnis ille diuinus huc tandem recidit; hæc omnium non prædicatione solum sed veneratione etiam, si Dijs placet, digniſſimi operis, en hæc summa est: habitus mers immotusque transuerberati corporis. At quota pars illa nostræ laudis? Nam & meus Cynægirus stetit in acie, nec solũ stetit. Et eius elegantem hauserunt stantis speciẽ Barbari, neque id tantũ, sed eiusdem etiam irruentis impetũ horrue-

runt. Ne compara, mihi crede, mortuum militi; scopum arquitæ; transuerberato telis hostilibus simulacro, hostes suis jaculis confodienti viro; minacem, at inanem habitum, audaci facinori. An qui laudas Callimachum non intelligis eâdem te oratione Barbarorum tela laudare. Hæc enim perterebratum corpus impacta terræ, vndecũque magnâ vi affluentia, & circumstantia omni ex parte obliquo hastili tamquam ad fulciendum sensim erecta, deorsum suopte pondere nitentem, & inclinatam ad casum sarcinam necessariâ rectitudine defixerunt. totque vix admotis fulcris & transuersis sublicis vt staret effecerunt. Cuius, si qua tandem est, gloriæ pars virilis in Persarum armis fuit, quæ defluentem exanguem molem in illo ipso quo ferrum acceperat habitu constrinxerunt. Quid habet porrò miraculi impactis in terram circumquáque contis decussatim implexis, tot bacillis omni ex parte subnixum stare vel mortuum? At Cynægirus quam speciem sui cum ciuibus, tum hostibus obtulit cum manus suas in facinore tamquam aculeum in vulnere reliquit? manus, inquam, illas etiam sine animâ pugnaces. Quæ cum ita sint omnia mirum quidem est, si bellatorem primum

pergas eâ ratione dicere Callimachum, quod virtutis ſpecimen etiam mortuus ediderit? Atqui nos terrâ marique pugnauimus, tua terreſtris tantum & ſtataria quædam pugna extitit. Non ceſſiſti tu quidem Barbaris. Eſto at nos eos cum retrocedere cogeremus ne id quidem conceſſimus vt tutò facerent: ſed quorum vultus reſiſtentes auerteramus, eorum inſtantes terga cædere non deſtitimus. Itaque ſi omnes quidem ſimiles Callimachi noſtri homines fuiſſent totus eſſet a Barbaris noſter obrutus & terræ clauis trabalibus affixus exercitus. Ipſi interea reflexo impetu Athenas curſu petijſſent. Et arcem vtique ipſam, quantum quidem per Callimachum fuit, iam Medi tenerent. Si vero non dicam omnes, ſed vnus modo aliquis Cynægiri ſimilis extitiſſet, pœnas nobis profectò maiores uiliſſima illa regis ſuperbi mancipia dediſſent. Omnes ibi eſſent in littore occidione occiſi: potuerunt que Barbarorum res iterum labefactari naufragio, ſed terreſtri. Iamque adeo capitibus omnibus in ſeruitutem tractis tantâ illa claſſe potiremur; eſſet que modo præda qui terror fuerat, ſi quàm admirati ſunt omnes, tàm imitari Cynægirum pauci voluiſſent. Ad

hæc

hæc Ecquem tandem terrorem hostibus, Ecquod amicis auxiliũ afferre potuit quem telorum sylua obrutum contegeret. Nam ipsi quidem Barbari hoste Callimacho in suum ipsorum certissimum propugnaculum erecto, tamquam extructo quodam insani operis aggere quales in Assyria visuntur, superbissimè gloriantes spéque insolenti inflati jactare poterant; non solos Naxios, non solos Eretrienses sed Callimachum etiam telorum septum indagine comprehendimus. Quæ interim dum illi magnificè prædicarent, segnior enimuero ad omnem ardorem pugnæ miles noster reddebatur, qui monumentum periculi, vexillum terroris, nobilem mortuum se se ostentantẽ latè, & pernicioſa standi pertinacia ferale spectaculum ad certum horrorem oculis & animis inculcantem facere non posset quin intueretur. Vt qui tanto nostro malo tanto hostium fructu steterit, à Medorum tunc quidem partibus stetisse videatur. Quid tu simile fili? quos tu animos? quam ad audendum alacritatem quam spem tuis commilitonibus subjecisti, cum opere réque ipsa demonstrares quem-libet vnum Atheniensium integræ Barbarorum expugnandæ naui parem esse? Cum tuas manus tam liben-

ter tam facilè quam alij sagittas proijceres? Cum verò facto tuo declararet pares esse Atticas manus Barbaris nauibus. Cum ostenderes solis ex omni hominum genere Athenienſibus immortales esse manus, quæ etiam abscissæ viuerent ac vincerent. Quam tu Medis illis Persis atque Phœnicibus quãtam trepidationem quantam caliginem offundebas? Ac Callimachum, si nihil aliud, oppressérant certè Barbari & occultauerant congestis telis: tuam autem tuam etiam abscissam & jacentem Phœnices etiamnum dexteram reformidant. Vnus erat, ô Callimachi pater, tuus filius, vnaque toto corpore defunctus pugna est. Meus victoriarum numerum membrorum numero comparauit. Nouum exemplum & singulare quid fortis etiam sine corpore manus posset. Militis vnius pater es; ego multiplicem Cynægirum ex Marathone dimidium recepi. Alibi læua jacuit. Alibi dextera. Et reliquus tamen Cynægirus integer stetit. O miraculum inauditum! lauda tu quidem, per me licet, stantem erectum mortuum, quem inter & columnam nihil admodum interfuit: Ego viros sternentem in acie, naues sistentem in mari, micantem, intentum, per omnia commeantem & varium,

omnibus locis occurrentem in membrorum minimis maximum, vice multorum vnum celebrabo. O manus Marathoniæ manus chariſſimæ tametſi meis hiſce manibus olim educatæ vniuerſæ nunc tamẽ Græciæ ſeruatrices! ô Marathonis decus! ô dulcis dextera quam velut ſalutare ſidus periclitanti Græciæ Tellus oſtendit! ô ipſis vehementior ventis dextera. Tu enim ſoluentem impetu nauem tenuiſti. O fortior vndarum æſtu remigij Barbarici agitatione feruentium tu enim abreptam tot remis vnam ſtitiſti nauim. O reductricem claſſium! ô longius quam ipſa tela pertinentem dexteram! quam ad ſpectandam non immeritò vſque ab Arcadia Pan accurrit. Non iam temerè huic Ceres & Libera intereſſe pugnæ uoluerunt. Erat id ſiquidem ſpectaculum dijs ſanè dignum. Hôc te fili te albmnum præſens in certamine confeſſa Pallas eſt. Hoc in agone tua virtus Herculis & Theſei palmas ac decus attigit. Nam tauros illi quidem & leones, tu florem & robur Aſiæ totius vnam in claſſem collectum tam incredibili robore inuentus es qui trahere poſſes. Illa erat videlicet illa veriſſima Minernæ haſta dextra Cynægiri. Hæ deorum illæ proſperæ ac ſalutares faces vegeto

ingenuæ libertatis splẽdore radiantes. Nunc primùm post natum hominum genus naumachiam in terra vidimus. Nunc primum compositos æquo certamine virum & nauem. Nuuc primum hominem cui proræ instar obtineret manus. Nunc non excipiendo proræ inuolantis, sed sistendo fugiẽtis impetui parem dexteram. Nunc eodem puncto temporis injectam manum & victam nauim. Non enim abscissa putanda est a corpore, sed tamquam in coloniam volens dimissa. Iamne etiam illius prioris dignitatis suæ meminisse Callimachus non desistit, qui dolores quos non sentiret pertulit, meo quos ferebat acerbissimos tam sentiente quam dissimulante. O peculiaris animę dignam dexteram! sic tu naues vt Callimachus tela tenuisti, vlta commilitonis & ciuis necem. O nouum & audax consilium! tantæne moli remoram facere parabas. O fili! ô ingens miraculum! hoc tu Orbi nouum spectaculum princeps præbuisti, sic immotæ cohibente manu, tanquam jactis & fixis anchoris, nauis. Quis iam referat quæ te arrepta naui locutum memorant fili. Naxum direptam repeto. Insulas Ægæi Maris repeto. Hæc reddite. Nec iam fugam cogitate, nec sperate.

Hæ tuæ voces. Hæc mens, hic animus hæc consilia majora quam ferre aut capere natura queat. O humanæ imbecillitatis oblite cum audacię pręualentis animi infirma membra paria crederes. Itáne cogitabas tot campis & montibus captiuam te nauim Athenas vsque tracturum? O Seriam & atrocem pugnam Panathenaicum ludicrum referentem! si copiam talium manuum habuissemus nequaquam ex Ægæo mari saluos Asia Barbaros recepisset. Exceperunt tuas, ô fili, tardè illas cadentes manus, hanc quidem ciues, illam vero socij Platæenses. Reliquo corpori tamquam trophæo coronas certatim omnes imposuere. Tu interim, ô nate, tamquam nihil incommodi perpessus, præterquam libertatis & patriæ oblitus omnium, trepidationem fugamque hostium alta voce castigabas. Quo infelices, quo tenditis? quid fugitis? state, & ciuitates reddite quas diripuistis. Nihilò illi segnius in fugam rapi, voce illa sua coruina insuaui & barbara secum hæc ipsis exclamantes. O audaciam! ô insanam dexteram! ô ingentem ô Heroicum animum! Iam citò ni cauemus nauem aduertet hæc manus infesto littori. Datide interim è superiore loco parante

caput illud inclytum victoris & viuentis trophæi ferro deiicere, hærente autem & metu debilitata cunctante manu, hîc quidquid iam virorum quidquid virium in exercitu fuit vnam in Manum coëunt. Conatus irriti omnes cadere. vbique labor, concurſatio, tumultus, magna ſe vi verſare torquere pro ſe quemque nihil admodū promouebatur. Tum clamor ex conſternatione: ad qualem nos huc ô Dij dexteram adduxiſtis? quid hic, ô viri, quid æris inſtar obrigeſcente animo conſtricti metu quid ſtatis? quîd cunctamini? aut ſtatim aliquis manum abrumpat illam; ſalutemque noſtram expediat: aut partim iſta ipſa mox nauis oram atticam mari legens, partim turmæ equitum terra nos Athenas vinctos perducent. Ergo cum armis omnibus omnis generis vnam in manum iretur, alia quidam fruſtra fuerunt omnia, donec magnam aliquis molitus magna vi ſecurim tamquam annoſam quercum aut ingentem pinum denique cecidit. Hic abſciſsa manu nihil motus, ſic prorſus tamquam nihil ſuum ageretur, ita alacriter velut alienam manum dedit. At qualem manum quæ totum occupare tantum exercitum vna potuit. Quam in vnam conuerſa om-

nis acies, partim victa sternebatur partim non æquo marte pugnabat Neque satis ratus si terram tantum fusi cruoris & ex hausti periculi testem haberet sua vulnera diuisit Elementis. Dignus, talis cum esses, Cynægire fueras cui celebrata fabulis felicitas illa Briarei deorum aliquo munere contigisset. quam tu mihi breui centũ istius generis instructus manibus Asiam subiugasses vniuersam, cum illæ modo geminæ ad tantam eius partem suffecerint quanta Naxum diripuit & vastauit Eretriam. Qui à te vix tandem elapsi eodẽ terrore quem tua illis virtus incusserat suum suis sermonibus impleuerunt Regem. Hæc enim erat illorum oratio commemorandą generositate hostium obtentum ignauiæ suæ quærentium. Ad viros adamantinos quosdam nauigauimus, ô Rex, quibus cum manus abscinduntur id vero illi sus déque habent. Quid viros dicimus? dexteras nescio quas inuenimus nauibus integris in pugna pares. Vix omnibus Dijs omnibus hominibus annitentibus ęgrè tandem à Cynægiri dextra nos expediuimus. Tuas igitur, ô fili, tuas manus festis carminibus gratulabundi celebrant Platæenses. Tuam vero virtutem tua bellica facinora, iam audiunt iam præ-

dicant Lacedęmonij. tuam gloriam occæcatus in pugna ſubito caſu Polyzelus ſecutus eſt ducem. Quæ geſturos aliquando Athenienſes in fatis eſſe ajunt occupaſti fili facere primus. Imperium inuaſiſti maris. perferendis illis ictibus cum infido elemento Patriæ nomine æternæ amicitiæ fœdus iciſti. Et quaſi ſponſor pro nobis à Fortunâ noſtrâ conſtitutus dextram ciuitatis vice mari dediſti. Frequentabit exempla tua poſteritas. Et in naualibus prælijs tua dextera celebrabitur. Comparabuntur ad naues arripiendas ferreæ manus ad tuæ formam effictæ. Quippe tentabitur à Poſteris tua illa ratio ſiſtendarum & trahendarum nauium. Qui te pugnandi modus autorem habuit multis ille percrebeſcet æmulatoribus. Sed hæc hactenus. Quæ enim innumera reliqua ſunt tuæ virtutis encomia ea in ſolemnem & legitimam orationem ſeruare placet. Quid hîc ais ô Callimachi Pater. Etiamne adhuc putas tam magnificum atque ego habeo, argumentum te habere dicendi. Tuam fidem. Nam quam tu mihi ſtationem narras cum Cynægiri manibus res græca ſteterit. Illæ concuſſam & impulſam ſuſtinuerint. Illæ peſſum euntem jamque in caſum pronam erexerint Græ-

ciam. Conseruauit sanè tela Barbarorum prouiditque ne perirent corpus tui Filij. Cynægiri manus tui ipsius, etiam Callimachi, vestrum omnium quotquot cecidistis in acie, nostrum omnium quotquot eius beneficio liberum spiritū adhuc ducimus; Græcorum demum omnium corpora manus Cynægiri seruauerunt. Abi igitur recede. Mihi crede, ne contendas præfractius: dicam aliquid & de tuo filio dicam amplū & glorioſum quiddam nempe Cynægiri talis militis ducem illum & Tribunum fuisse. Tu vero sepulcralem concionem quorsum ambias pater mortui jacere & sepeliri renuentis. Quod si priuato officio sepulcralem orationem debere te filio credebas, heus tu serò tandem aduertis animum tam pridem eius exoluendi debiti tempus est elapsum quam dudum est ex quo sub telorum syluâ sepultus est Callimachus. Sin lex tantum & commune commodum attenditur, vt ei muneri præficiatur non si quis id concupiuit maximè, sed qui aptissimus iudicetur, eam sciunt omnes eius generis me adeptum esse facultatem, vt ad hanc funebrem laudationem perorandam, me haud paulò magis quam sit aduersarius, idoneum, non arroganter faciam si

affirmem. Etenim Cynægiri pater sum, & magnates inter nominatissimus, & haud minus linguâ promptus quam filius manu. Sinite me hanc Tragœdiam exhibere, sepulcralem, & chorum inducere ob victoriam gratulabundum. ne quæso ne inuideritis dramati Marathonio. At tu Æschyle fili scribe mihi carmen istud, & marathonias pugnas vnius in fabulæ seriem ac corpus digere concinnè vt soles. Si vmquam in hoc genere aliquid fuisti enitere nunc vt in gratiam Patris, in gratiam Fratris, omnem exprompsisse industriam videaris. Vos autem quæso obtestórque, iudices, ne me hoc honore dejectũ cum ignominiâ repellatis. Tendo ecce vobis similes & cognatas manus ijs quæ pro vestrâ salute pro vestrâ gloriâ perierunt. Teneo sermonem, vt illæ nauem, non elabetur. Sepulcrum arripio. Non patiar mihi eripi. Non sinam me abduci. Non cedam. obire nõ desistam & concursare sepulcretum. Non efferam extra pedem. Sic patrem Cynægiri decet. Possessionem iam nunc concionis adeo cõmune sepulcrum arripio, funebri suggestui manus impono. abrumpat eas si quis arcere volet, inflictâ secuti. Tum te fili si laudare minus dabitur, certè licebit imitari.

CALLIMACHI PATER IN CONTRARIVM.

QVOD sapienter à maioribus constitutum piè ac religiosè nostra ciuitas tenet, vt virorum fortium cineres non tantum communi sepulcro de publico dignentur: sed virtus etiam ac gloria solemni oratione celebretur. id vero ego ea maximè ratione laudare vehementer soleo quod eorum quæ præclarè gesta sunt, haud alia plenior merces quam copiosa; illustris, & cum laude coniuncta commemoratio habeatur. Ac mihi cum ad solatium domesticæ iacturæ, tum ad fructum priuati gaudij, abunde vtique sufficiebat illa virtus mei filij vitâ animáque longior. Verum cum Callimachi filij nomen & memoriam in

meâ patris causâ periclitari videam: neque id tantum nunc agi, cui potissimum communis concio tribuatur: sed eius qui huic muneri præfectus fuerit, fortior filius, qui ab eo reiectus virtute inferior sit iudicãdus, suscipiam tua, Fili, tuiqüe honoris causa cõtentionem hanc: neqne in periculo tuæ dignitatis huius disputationis laborem vel inuidiam fas mihi esse putabo saluo patris officio defugere. Quidni autem capessam hanc causam hanc orationem quam mihi filij virtus incredibilis tam expeditam, tam facilem præstat. Qua fretus sic equidem affirmare audeo. sic præ me fero, sic prædico: vni omnium mihi maximè communem concionem tribui ius fasque esse propterea quod Callimachi pater sim. Qui cum adhuc viuẽs viuentis Cynægiri ductor & Tribunus fuerit si vestris iam, quod dij auertant, sententijs inferior discesserit. Magnam & insignem à vobis ignominiam tum magistratus eius, tum virtus feret, vterque immerito. cum ille vestræ omnis habeatur victoriæ causa. ista glorioſissimum omnium in theatro illo Marathonio spectaculum præbuerit viri etiam sine anima pugnantis, Et morte ipsa fortioris mortui. Atque ego illum erectum ac stantem, ægerrimè addu-

xi vt caderet & officia ſepulturæ pateretur. Nam veluti ne hanc quidem cauſam idoneam haberet cur de ſtatione decedendum ſibi putaret, ſic obfirmatus perſtabat, & ne communi quidem illi cæterorum mortuorum ſepulchri funeriſque deſiderio, vinci ſe aut ſuccumbere ſinebat, tanquam fateri ſibi turpe duceret oppreſſum ſe atq; obrutum totius Aſiæ collectis inque vnum incumbentibus viribus exhalaſſe tandem animam ac cecidiſſe. Fortem ſane ſe ac ſtrenuum boni ciuis, virique optimi filius Cynægirus hoc bello prębuit. non inficior, An fortiſſimis ac ſtrenuiſſimis propterea præferendus ſit? id vero cum modo quæritur, tum audacter nego. Tanto ſiquidem inferior ille Callimacho, quanto iacentes, ſtantibus; erectis, afflicti; mutilum ac diſſipatum cadauer, integro ſtatu audacis mortui. Quemadmodum vero omnia contigerint dum expono quæſo quod facitis diligenter attendite. Exſcenſum ad Marathonem fecerat Darij claſſis. poſtque omnes illas, quot in Ægæo ſunt mari vaſtatas direptas inſulas infeſtis armis atque animis in Atticam ferebatur. Hic ſuccurrendum. Cõſulendumque ſummæ rerum videlicet erat: nec vlla in diſſimulatione Lacedæmoniorum pars

fiduciæ collocanda. Atrox quippe ac præsens periculum. Eratque ea sententia Miltiadis aleam belli quamprimum experiendam. Hic iam meus filius vniuersum eduxit exercitum, adeoque ipse princeps in primis stetit, non tantum officio militaris magistratus, & ratione legis adductus, sed peculiari etiam quodam elatus ardore animi qui magnæ laudis cupiditate flagrans noua iam quædam & admiranda facinora sibi edenda in acie secum iam tacitus destinarat, quo feruore properantis ad summa Tribuni tum alij omnes nostri milites, tum vnus quidam de conferta turba, obscurum & ignotum caput, Cynægirus trahebatur. Iam vt in rem ventum est, collataque signa cum barbaris. nullus sane omnium omisit commisitve quidquam cur pœnitēdus huic reipublicæ ciuis videretur. At Callimachus ipso opere rebusque adeò gerendis eius se belli principem comprobauit. cum enim velut pro imperio, ita ipse sibi præscripsisset corpus vt suum ac spiritum pro communi libertate paciscceretur, sibique debellendas vni vniuersas regis copias depoſceret, se aduersum vltro opponens, quod nulli rerū moli vis illa incredibilis exaggeratæ omni virtute mentis se imparem cogitaret, con-

tra illum tantum Darij apparatum prōptiſſimo animo ſtetit: ipſam vt vniuerſam effundentem ſeſe ex nauibus Aſiam, non magnificentius prouocaret verbis, quam viribus & inaudita roboris humano maioris conſtantia ſuſtineret. Ibi tum illa præſentium oculis vſurpata eſt in qua fides abſentium laborat incredibilis animi magnitudo. Hic tum perſpectum quantam virtutis vim ille in receſſu habuiſſet animus, qui cum in ipſa acie periculi, in ipſa flagrantiſſima impreſſione Barbarorum expromendam vim omnem ſuam, ſeque vtendum ſibi toto ſtatuiſſet; non cum omnibus ſolum illis conflixit vnus, ſed omnibus etiam ijſdem ſiſtendis, fundendis, fugandiſque ſuffecit. At quis hoſtis? quę barbaries? quæ hæc colluuies erat? cuius ipſa oris, ipſa veſtis, ad terrorem efferata ſpecies, ipſa illa inſolentiſſima vultu, nutu, motu, immanis & belluina temeritas, clamore vario, incondito, immenſo, minaci, cuiuis deterrendæ & frangendæ cōſtantiæ multo formidoloſiſſima viderentur. quæ meus cum tamen, velut inania terricula, pueris conſternandis, ſpernenda virtuti iam maturæ decreuiſſet, terrorem ipſos in hoſtes refudit; quorum ingentem late ſtragem cum dediſſet, eò illos impotentis iræ, eò

miseræ necessitatis adduxit, vt omni omissa cætera pugna, vniuersa ex acie, vuum in Callimachum, vno circum simul impetu funderentur. Ergo hæc cura omnibus, hic vnus labor, huc certamen omne reciderat, collimare in Callimachum, & suis vnum omnibus sagittis figere, deijcere inuisum caput, quo vno, sic enim aiebant, Atheniēsium salus niteretur, dum sic ille perstaret eodem semper loco futuras Athenas. Hîc videlicet multas ille hastas, contos, gladios tela denique omnis generis excepit plurima, nihil vnquam ad tantos impulsus titubans, tamquam ex adamante turris esset, aut murus aliquis firmissimi operis, aut durissima rupes, vel cum hominibus dimicans Deus. ita vehementissimos infinitæ multitudinis impetus, tamdiu sustinuit, donec omnia totius Asiæ consumpta tela, omnes exhaustæ pharetræ sunt, vt ad cæterum laborem etiam hoc auctarium cladis in regias legiones importauerit vt penuria missilium laborarent. Per hunc modum longo tempore obnixus perseuerauit in corpore spiritus cum natura contendens, & negatam hominum generi immortalitatem per vim vsurpans, vbi vero concedendum denique necessitati fuit (nam & homo Callimachus

machus & mortalis erat) de ſtatione corporis mille iam plagis peruia, extruſa tandem ſylua telorum eſt anima. Sic obijt Callimachus, at ne ſic quidem cecidit: ſic enim euolans mandarat animus corpori, perſtaret in loco, ſeque obfirmaret, ac quoad inanimo cadaueri liceret, pugnare perſeueraret. haud fruſtra præceptum. Sublimis cõſtitit exanguis moles, velut demiſsis altè conſtabilita radicibus; ac quamdiu turbo ille bellicæ tempeſtatis debacchatus eſt, idē prorſus habitus permanſit, quo decedens anima membra compoſuerat, vt diu quidē barbaros fefellerit. Quis enim quem ſtantem cerneret, mortuum crederet. O Callimachum etiam poſt mortem formidabilē. O vltra fati terminos longæuus miles. O ſua ipſius diuturnior anima. O ſpiritu conſtantior virtus. O multis par animabus corpus. O conſtantis animi erecta fiducia. O animatum cadauer. O corpus onuſtum inſignibus victoriæ, armis vndique & telis exornatum. O primum Marathonis trophæum. O columen libertatis Athenienſiū. O moles quæ præcipitantis Græciæ ruinas in ſe ſuſtinuit. Tu peſſum ruentes Athenas à caſu prohibuiſti. Poſtea vero quam Barbari qua fatigati, qua inermes, qua perter-

riti, fuga demum in naues auersi sunt ac cũ intercludi sibi terram à Callimacho viderent circumspexerunt mare, prompta cuiuis qui modo vellet, & facilis tum copia, tum otium persequendi fuit. Ergo vnus tũ quidam eorum qui conferti ad littus currebant Cynægirus fuit. cumque extremitatem nauis vnius arripuisset nullo negotio ictu securis abscissa manu tamquam imbecillus puerulus contemptim repulsus est. cecidit vero statim iuxta proram dextera; iuxta dexteram ipse: vt incredibilem animi corporisque infirmitatem vnum vnius mẽbri vulnus proderet. At tu, fili, in præclara illa statione tua etiam soluente Datide velut in quadam specula constitisti. tamquam id tua generositas obseruaret ecquando tãdẽ aufugissent è conspectu Barbari, puruſq; ab omni hoste cãpus Marathonius esset, vt tum demum caderes cum peregrinum testem tui casus haberes neminẽ. Hæc me in funebrem suggestum euehunt. hæc concionem mihi ad commune sepulchrum attribuunt. Meum est in illâ turba, cuius causa hæc comparata celebritas est, meum, inquam, est quod excellit ac dominatur. cuius est sepulchri caput sit eiusdem æquum est sepulcralis concio. Ac illum quidem

meum, vi adhibitâ, vix dimoui tandem, vtque cum commilitonibus jacere vellet adduxi. cessit. persuasus tandem est. commune sepulchrum subit. dignus sanè qui mortuus in funere non deteriori conditione habeatur, quam quæ viuentis in castris erat. dignus cuius patrem hoc in eius gratiam dignandnm honore censeatis, vt ad commune monumentum dicendi munus ei potissimum tribuatur. Quid enim æquius quam vt cuius viuentis ampliſſima in exercitu præfectura fuit eiusdem in celebritate funebri primis honoribus deferendis præcipuam haberi rationem. Nos in hostes duximus, nos eos assecuti consecimus, nostra in armis, in labore, in pugnâ, pars plusquam virilis fuit. nobis seruetur in distributione laudis meritus locus. penes nos militaris tessera, viuos penes nos insignia potestatis erant, si nihil in morte commisimus cur ijs indigni videamur, prosint ea iura, ea præiudicia mortuis, ad solemnis laudationis munus auferendum. Ne læseritis Callimachum etiam post mortem, vt ex eius facinore intelligitis, sentientem: ne erectum illum, qui tanto vestro bono stetit afflixeritis. neue administratorem belli, qui tantam vobis peperit victoriam honore

dejeceritis. Neque tam male de illo mereamini, vt veſtris ſuffragijs veſtris iudicijs vni & alteri neſcio cui de turbâ victorum militum exæquatus, imò inferior ſummo ſuo dedecore diſcedat. Non enim appellationibus glorioſis; non demiſſo ad venerationem corporis habitu; non veſtis authoritate ſolum atque ornatu declarari imperij majeſtas & affirmari debet; ſed rebus ipſis operumque honoribus, dignari ius faſque eſt legitimos magiſtratus. Sic igitur vobiſcum reputate. ſi ſuperſtes vterque noſtri amborum filij de hoc honore contenderent, vtri tandem duorum adiudicandam victoriam arbitraremini? priuato homini, an tribuno militari? facile opinor iudicium. Etenim quis optimè cæſos ea pugnâ laudauerit? an non qui princeps in periculo, princeps in labore fuit? qui inſtruxit aciem? qui ſua cohortatione, ſuo exemplo, ſuo conſilio, cæteráque omni egregij ducis prouidentiâ, id conſecutus eſt noſtri vt milites tam ſtrenuos ſe præberent quàm Barbari magna ſua clade ſenſerunt? mihi quidem ſic vtique videtur. Vos vero quid cenſetis? nonne vel ſi paris tantummodo cum priuato fortitudinis documenta Dux belli præbuiſſet, tamen honoris principatum

prærogatiuam secuti magistratus tribuno potius quam militi tribueritis? Annon igitur per Deos immortales quem viuo Callimacho sine vlla dubitatione tribueretis primatum dignitatis, eundem eius Manibus cineribusque reddi æquum esse censebitis? nam ea profectò quibus præsens præsentem Cynægirum vinceret, nunc quoque habet Callimachus omnia. Vicerit porrò ille iusque apud vos suum obtinuerit, si mihi eius Patri hunc honorem præ cæteris aliorum militum patribus intellexerit demandatum. sin autem hanc eius cupiditatem hanc spem frustrandam effectu statuetis, dicite ergo quæ tandem vitam profundenti pro patria, ciui; pro exercitu, Imperatori, proposita præmia esse velitis? si hâc in contentione vestro calculo primas Cygirus abstulerit, quam vestris suffragijs ornatus pompam ille ducet, hanc quo vultu, quo habitu, quibus insignibus præclarè gestæ potestatis, neglectus atque posthabitus meus sequetur? At ordo ipse inscriptionis in columnis quibus insculpta sunt iacentium hoc tumulo nomina, meæ causæ præjudicium haberi debet. Si enim in illâ serie sepulcralis Epigraphes præcipua est habita mei nati ratio, vt primo loco pone-

retur propterea quod natu maximus esset omnium. attingit & iam me quoque eius argumenti vis: & quæ illi inter commilitones prærogatiua ætatis principem locum asseruit, eadem me tam grandi, quam videtis, natu senem aduersarijs præponit: qui si naturæ iudicium & sapientum præscripta sequi velint, concedent partes dicendi senectuti meæ; solemnemque hunc sermonem huius potissimum ætatis authoritati commendari æqui bonique consulent, auditores potius beneuoli quam æmuli peruicaces. Cæterum vos Imperatorem Miltiadem ob rem eo die bene gestam coronâ exornandum amplissimâ censuistis. merito sane. ac, vt dignum vobis erat, sapienter. Sed videte quid colligam. si enim summi ducis virtus honorem summum à vobis meritissimò consecuta est: quid? Tribuni fortitudini nullumne apud vestram æquitatem præmium repositum, nulla merces? Est autem id in vestra hoc tempore potestate situm. Si enim id quod equidem spero, vestris me sententijs recreabitis, tum vero quæ vna ad faciendam vitæ fidem stanti & erecto mortuo vox deerat eã Callimacho reddidisse videbimini. cum eius patrem eũ in locum promoueritis vnde sublatum ora-

tione suâ in cœlos filium admirationi omnium ostentabit. Atque ego si Miltiades Imperator ad hanc contentionem accessisset concessissem vtique, & veluti superiori potestati fasces submisissem. Etenim cum illum abeuntem magistratu minore quam antea ornatum dignitate videã, æquissimum censerem si quid illi sortis & legis ratio dextraxit, id honore liberalius deferendo, vel supplere vel consolari. Iam cum ille ab hâc petitione se remouerit, ecquis tandem omnium ad spem huius honoris potiori quam Callimachus iure nititur. Ne ô Euphorion ne solue ordinem quo superior ad Marathonem nostra res fuit. Nam quod ais, non id in more positum apud maiores vt Tribuni militaris funebris concio perpetuo quodam iure propria esset. haud rectè colligis. cur enim ea perpetua consuedo non fuerit ea fuit causa quod plerumque contingat Polemarchum in bello non occumbere. quem vbi ad hanc celebritatem fortuna seruauit, eius est & suum cuique locum attribuere: & populum in concionem cogere: & pompam omnem funebrem aduocandis omnibus adornare. Quibus tot rebus vnus intentus laudationem meditari funebrem ipse non potest. Quod

si hæc inter duos controuersia non ex nominibus aut titulis sed ex rebus ipsis gestis vtriusque dijudicanda est; longo quodam interuallo inferiorẽ Callimacho Cynægirũ contentio demonstrabit. Primũ vniuersis in acie Marathoniâ pro authoritate militarem tesserã, pugnandi signũ, & omen ille dedit; hic accepit modo. illius imperiũ, huius dũtaxat obsequiũ fuit. Quæ autẽ alieno ductu imperioque geruntur, eorum pars laudis maxima à ministris in authores redundat. Sic enim videmus si quid auditores in ludo commodius prompserint, laudem censeri præceptoris. similis scenæ ratio, in quâ si quid elegantius moduletur chorus, poëtæ plauditur ei qui fabulam docet. Sic in re nauali si prosperè nauigatum est, non nautarum aut remigum sed gubernatoris prouidentia factum creditur. Ita denique militum virtus in Tribunos & Imperatores refundenda demum est. Igitur in ijs quæ fortiter, quæ audacter, quæ gloriosè Cynægirus gessit, auditorem ille quidem & ministrum se attentum & strenuum præbuit; auctor certè omnium & magister Callimachus fuit. Ille ille cum clamaret ne oculis commilitones ne manibus, ne corporibus quidem peperceritis: hæc omnis Cynægiri

laudis, omnis fortitudinis, omnis gloriæ, vox hæc artifex fuit. At ea quibus Callimachi gloria continetur, ita ei sunt propria, nullam vt eorum particulam aut Cynægirus ad se deriuare, aut quisquam omnium queat. Præterea Cynægirus cum illa insana moliretur, adolescens præferuidus, præceps temeritate ferebatur. Prouectior ætate Callimachus, vt ille quidem æstu iuuentutis elatus in stolidam confidẽtiam, hic autem, maturâ iam ætate vir strenuus, ab omni suspicione iuuenilis audaciæ liberam virtutem & vsque quaque probatam, iudicijs seueriſſimorum obtulerit. Itaque cum robore ac firmitate corporis nihil altero inferior esset, sola illum maturitate consilij, & eâ quæ sine mente ac ratione constare non potest, virtute superauit. Porrò Callimachus summis Græciæ temporibus sub ipsam aciem supremi periculi se se barbaris opposuit; & quo modo nostrum hoc mare patrium, apparatum superioris expeditionis Barbaricæ opportuniſſima rebus nostris tempestate corruperat. sic ille redundantem ex Elide in Atticam regionem, Asiam tamquam objectâ mole stitit atque repulit. Atqui eo loco tum res erat summa tempus

id erat eiusmodi vt si quid pro salute patriæ virtus ciuis alicuius posset, illa vltima futura ad experiendum occasio videretur. Cynægirus vero constitutis iam rebus, receptâ ex supremo periculo republicâ, Barbaris à Callimacho auersis, consternatis, fractis, à nostrorum acerrimè insequentium impetu effuso se in naues cursu subducentibus, iamque adeo in naues ipsas receptis, in tuto collocatis, solutis nauibus, fractis retinaculis, nostrorum vim ex alto despicientibus, serus quidam, tum demum re confectâ superuenit. Ac intempestiuâ prouectus audaciâ proram vnius nauis injectâ manu tenuit. Atqui cum summæ opportunitatis tum heroicæ cuiusdam virtutis fuit primum & flagrantissimum atrocissimorum hostium sustinuisse impetum & perfregisse persequi quidem iam fugientes & instare terga dantibus vsitatę virtutis ac mediocris animi opus, cuiusuisque adeo hominis erat. Sic enim & viris, mulieres; & leonibus canes instant. Etenim vt formidolosa illa prima hostium species & ille ex nouitate inexperti periculi conflatus terror ex animis quos oppresserat semel euanuit, tum afflictis incumbere facile quiddam & cuilibet promptum ac procliue est. Nullus vt sit tam mol-

lis tam dissolutus animus qui hanc cogitationem non suscipiat; ~~cuius facultatem, non suscipiat;~~ cuius facultatem, non virtus in eo sitâ qui aggreditur, sed hostis ignauia præbet. Cæterum in commissione partium summis hinc inde viribus, ex æquo adhuc libratâ vtrimque lance fortunæ, virtutis contentio & iudicium cernitur. Rursus quibus excelluit Callimachus ea cum factu ardua, tũ formidolosissima acerbissimaque perpessu fuerũt: quæ autẽ voluntarius nulla necessitate, iuuenili libidine, ludibundus inuasit Cynægirus, asserta iam nobis victoria confessione hostium, necessaria fuga salutem expedientium licentiam facultatemque habuerunt aggrediendi summam, & nihil patiendi securitatem. In summa illi ipsi quantula est gloriæ Cynægiri segetem Callimachus, & quasi stadium apparauit perculsi quippe Barbari priore pugna Callimachi, & terga vertentes præclaram nostris, instandi fugacibus facultatem prębuerunt. quæ vero splendidè Callimachus ante iam gesserat, quam eorum laudis particulam posteriora illa & extrema Cynægiri decerpere ac sibi deposcere queant? Itaque amborum facinora ita comparata sunt, vt de illorum altero hoc rectè affirmare possimus.

virtutis opus id meræ fuit nulli exemplo debitum. Cum vero ſucceſſio inter illa temporis fuerit, cõſtat, quod præceſſit facinus, in eo virtutem extitiſſe meram: quod vero effectum poſterius eſt, eius vtique exẽplum nullam habuit vim ad eum excitandum qui iam prius egerat, cum eò tempore ne eſſet adhuc quidem hoc facinus natum. Ita prima illa fortitudo Callimachi quæ pugnæ initium dedit, opportuniſſimum & auſpicatiſſimum quoddam magnarum rerum principium, & eorum quæ deinde proſpera conſecuta ſunt cauſa non dubia fuit. non multò ſecus atque fundamentum, reliquæ ſubſtructionis, aut carina, nauis ædificandæ, ſimiliaque multa quorum diuturnitas principiorum maximè firmitate nititur. Itaque illud non immeritò ſperamus Marathoniam hanc ipſam victoriam omen fore quoddam ad cæteras quæ deinceps erunt dimicationes cum barbaris. Sic porrò ſe res habet de facinore Callimachi; ſi cum facto Cynægiri comparetur. Interea enim dum ſtaret ille, dum omnium in ſe conuerſum impetum ſiſteret, reſpirarunt ſcilicet noſtri. mox vt cedentes Barbaros ſunt conſpicati ex eorum conſternatione ſumpſerunt animos. quis enim cum extantem ſe ſeque oſtentantem

transfuerberato ac perdito vniuerso corpore Tribunum, ductorem exercitus cerneret, vt cuticulam ille suam amaret perditè; vt pedum vt manuum iacturæ discrimen non adire obstinasset animo. tamen ad tantum exemplum spernendi pro immortalitate gloriæ mortalis corporis, non ad audendū excitaretur? Iam illud etiam perpendite. pugnauit ex terra Cynægirus cum fluctuante naui, in firmo ipse vastoque constitutus solo, cum pendente, periclitante conflictāte cum anguſtijs impediti littoris. At Callimachus cum recentibus Barbaris, terra iam potitis, otio ex nauibus expositis, curatis, & vegetis, fronte, oculis, toto corpore, illam ferociam, illam fæuitiam spirantibus, qua omnes Ægæi maris insulas, vastarant, expilauerant, subiugarāt, æquo loco, æquo pede iustam pugnam capessiuit. Et Cynægirus quidem æmulatione fortasse viso Callimachi facinore accensus ad laudem est. Callimachum deliberatus ardor animi sua quadā insita natura non alienæ virtutis afflatu, non contagione laudis, non splendore decoris, aut æmulationis conflictatione incensus atque emicans volentem & exultantem ad clarum exitium rapuit. vt Callimachum dicere liceat, viuum exemplum virtutis. Cy-

nægirum vero, expressum ex eo simulacrum aliquod quod archetypum manu dumtaxat tenus referat. manum enim hic solam, ille membra omnia corporis, omnibus illis fortissimè dimicans in discrimen obtulit eo euentu, vt nulla non sui parte victor eo bello fuerit. At hic vnam solutarum iam nauiũ quandam arripuit manu. Ille vero aduersus tot illas vnus quæ in regio tum exercitu fuerunt gentes barbaras oppósuit sese. Ac Cynægiri profecto inconsultus & prorsus insanus is conatus extitit. Siquidem quod illa audacia petere & sperare videbatur, id enimuero fieri nõ poterat. Quomodo enim nauim cohibeat manus? quo de vmquam fando auditum est homine tam confidente, tam præualente dextera, qui si ignorauit quidem suarum non esse virium nauem sistere, at sperauit fore vt incitatæ remigio triremis impetum digitis eluctaretur. stolidum inceptum amens audacia. sin id perspectum habuit, quam esset id quod cogitaret arduum supra omnem humanam vim: tamen ne à rebus quidẽ quæ fieri nequeunt abstinendam temeritatem præferocis animi peruicit audacia. Næ eius in toto facinore arrogantiæ vis intoleranda quædam, simulatione turpi coniunctæ versata est.

Fuitque neque tuta, neque neceſſaria oſtentatio inſanæ molitionis eius rei quæ nullam haberet ſpem ac ſpeciem facultatis. ſtulta prorſus & immenſum quantum ab omnis ſapientiæ conſtantia diſiuncta cogitatio. Non enim immoderata, non inſolens, non phanatica, non væſana virtus eſt, neque ad eam vllo modo pertinent, quamlibet magni conatus qui amentia præcipiti occæcãre temeritate ex effrænatis cupiditatibus, ad ſpes inſanas erumpunt. Ego vero ſtatuenti de merito facinoris, non id prius attendendum arbitror, quâ quis arte, quo modo, quibus motibus, quo impetu ad illud inuaſerit, ne id quidem quo minarum ſtrepitu, qua ferocitate verborum, quâ magnificentia iactabundæ orationis, animi virtutem in ſtrepitu ac ſono vocis conſumpſerit. At illud etiam atque etiam conſiderandum, quem ſcopum & qualem, eiuſmodi ne quo aſpirare homini liceat. attemperatum ad naturæ vires, arduum: verum labore tandem expugnabilem: ſibi quis ante oculos propoſuerit; in quo deſignando cum conatus ſuos ad ſpei rationem ſubduxiſſet, tum demum vires omnes incitaret ſuas & fortunam experiretur. Iam illuc referte mecum animos: quid cenſetis? nauim ne integram

quam vasta, quam grauis est, tot corporum, tot impedimentorum degrauatam pondere tanto remigio raptam in altum, sitne opus humanæ dexteræ, capere; & in littore detinere; quid autem etiam, si dijs placet, in vrbem ducere? huccine tandem ille cursus, illæ minæ, ille apparatus, ille impetus ruebat. Hoc tua, age verò, tam obfirmata illa petebat, hoc meditabatur audacia? At ea omnia? quid demum sunt? aliud nihil quã impetus vecors, immoderata ac bruta cupiditas, insanus conatus, amens, infinita, desperata, cogitatio hominis non nauẽ capere sed vitam prodigere cupientis. Ne igitur, ne quis dementi audaciæ virtutis potius, quam gratuitæ & inutilis temeritatis, quàm stulti cæcique futoris personam imponendam, vim atque appellationem tribuendam putet. Dicat enim merito, bello isti audaculo sapiens quispiam. qua spe furis ô Cynægire? quid? tu nauem conaris humana detinere dextera. tuam audaciam natura, non capere non sequi potest. Ecquis istuc vmquam Glaucus Anthedonius; Ecquis effecit aut tentandum sibi putauit Triton? vnus vt adolescẽtulus trahendæ triremi par sit? tantum vt cursum sufflaminare tuus digitus queat. Neptuni mẽdius fidius in hoc

dextera

dextera laborauerit, si ventos in contrarium incumbentes eluctari volet. Tun' vt per orã Atticam quanta Marathone ad Pyræum patet, tãtam hanc nauim, qno remulco, circumducas? quin te illa ipsa potius millies in altum abripiat, prius ipse quam aduerteris pendulum te de prora medio in mari tenebit, iam te nauis, verius quam tu nauim: captiuum te: at cuius ducis? cuius militis? rostri nauis vnius. De multis audiuimus terrestris exercitus in classes subductas pugnis, de multis legimus. quandam etiam eius generis narrare alicubi Homerum memini. Num quidquam huic simile? num ibi quisquam inuasit in nauim manu? num traxit? ignem quidem illatum video, faces injectas, solam hanc heroes illi viam ac rationem nauis tenendæ putauerunt. Tuus autem ô Euphorion, filius, puer erat audaculus, qui corpori quidem non parcebat suo: rationem certè & consilium quibus pugnandi ardorem regeret nec adhibebat nec habebat. Itaque strenuam sane & reipublicæ olim vtilem manum frustra per stultitiam perdidit. Præterea Callimachus quæcunque concupierat adeptus est omnia. multos exarmauit, omnes terruit, stationem tenuit etiam

mortuus. Cynægirus tuus, hunc quem vides insaniæ fructum retulit. Deinde Callimachum nemo vnus interfecit. commune illud facinus Asiæ totius extitit. omnium in vnum aspirarunt certatim iacula. tamquam delibare Callimachi corpus, & tantæ virtutis contagione imbui pro summo honore cuperent. Ergo omnia tela consumpta. omnes exinanitæ pharetræ. stant adhuc circum & corpus obsident, tam multa illa tam varia tot gentium iacula, inter se contendentia, dum vnumquodque se mortem attulisse Callimacho gloriatur. qui sunt omnes testes certissimi conspirationis coniuratæ vnam in cædem vniuersæ Asiæ. Igitur mors quidem mei filij tantæ res molis fuit infiniti vt mortales in eo transigendo negotio elaborarint. At de Cynægiri dextera ab ludibundo lixâ facile & cito confecta res est, haud maiori labore quam cum tenellus ramus arbusculæ ceditur. Iam hic erat sensus armorum Callimachi. hoc eius illa fortitudo, hoc ille in pugnâ ardor animi sibi volebat: fractas & repulsas Regis copias exterminare procul ex omni regione, nullum vt barbarici vestigium in Attica resideret. Quid vero Cynægirus? fugientes retrahit barbaros, hostes reuocat, Medos in

Atticâ vi etiam additâ detinet, victoriæ fructum & finem corrumpit, bellum, pugnam, discrimen instaurat de integro. Quid per Deos immortales, si Darius ipse coram adfuisset Rex quid facturus erat aliud? quid tu mihi fugientes clamore reuocas? quid soluentem Phœnissam retardas classem. Dimitte, dimitte Cynægire. manebunt si teneas. Exscensioni alteri locum inuenient. Impiè quam Deus Pan vrget in fugam, tu sistis nauem. ne retine quam infesta Pallas face flammaque præcipitem ex sua terra proturbat. fugit illa Cerere Liberáque libentibus. Præsto est Theseus: præsto Hercules. Neuter cohibendam arbitratur. in lucro ponunt si vltro abeat. ita postulare cernunt rationes nostras. Dicat tibi patria: cognatos ventos habeo, ad inhibendum cursum nauium haud paulo quam tu validiores. At illi quidem qui illorum in nos amor est bellum ab Atticâ procul exportant. Tibi autem quid venit in mentem ô Cynægire stationem barbararum nauium facere Marathonem? Erras heus tu, mi bone. non sumus, id quod omnes intelligunt, apparatu classico regi pares. Nauali si prælio decernendum erit, vincet vtique Darius, eiusque vni Cynægiro victoriæ gra-

tiam debebit, qui eius classem à fugâ prohibendo necessariam ipsi victoriam fecerit. neque tamen sic agam inclementer vt proditionis Cynægiro crimen inpingam. Ferat à me licet hanc veniam. dabo hoc adolescentiæ, dabo indoli, dabo veritati; cui vel cum causæ incommodo seruiendum est. Sic dico sic sentio. facto potius quam consilio, manu quam mente Cynægirus nobis nocuit, quid ergo? aliud quippiam suo illo furore secutum suspicor. cum enim iam mortuum Callimachum laudibus ferri videret nõ intactus ambitione animus æstuare repentè febriculâ gloriolæ cepit. quid multa? cupiuit aliquo se facinore commendare, atq; à turba eximere. ergo illam suam glorioſam dexteram properauit perdere, vt nobilis ipse quoque olim vna quædam dam ex Marathonijs historia fieret. Atque hæc ad excusandum adolescentem incautum, bonum tamen & ingenuum. In nostro autem facinore nihil quidquam excipiendum, nihil deprecandum est. nihil illic non vtile, non salutare patriæ; nihil à nobis ne per imprudentiam quidem non è republica commissum. Atque vtinam quam nulli pernicioſa Callimachi virtus extitit, tam omnes habuisset æmulatores. Debellatum

esset eo die cum barbaris si omnes nostri milites sui ductoris se similes præbuissent. cæsi, fusi, deleti ad vnum omnes in campo fuissent. Sic melius intercludi fuga, sic teneri, sic capi certius vniuersa Persarum classis potuit. naues omnes vectoribus vacuas sine pugna cepissemus. sin imitandum sibi tentantem naues Cynægirum proposuissent: ad instaurandam, vt dixi, pugnam, & eluendam cladis ignominiam quamuis inuitos barbaros reuocassent. Quod igitur ad Cynægirum attinet nullum ille quidem admodum, aut metum hostibus aut fiduciam suis iniecit. Qui & nihil fecerit. adeoque instrumento, quo vno res maxime geri solet, abscissâ manu dexterâ, exanimatus repentè conciderit, sic prorsus tamquam alteram non haberet, ac velut totam animam sitam haberet in dexterâ. meum vero filium quisque cum videret miles stantem in ordine; etiam si quem ignauia ad deserendum locum vrgebat, pudor tam illustris exempli in officio continebat. Interea dum ad tantæ constantiæ spectaculum stupefacti & metu consternâti Barbari tergâ vertebant. Vno verbo Cynægirus cecidit, alter minimè. fingite autem atiletas esse qui re ipsa sunt milites & ita iudicate. vtrum tan-

dem coronabimus? rectum an iacentem? ſtantem an dejectum? etiamne perges viro manum, vnum vulnus, ſexcentis; deſertorem ordinis, viuaci mortuo; truncum turpiter mutilum, etiamnum integro componere? nauem ille dimiſit; hic ſcutum tenuit. I, nunc; cothurnos indue: tragœdias age quam multas, quam voles ſæpe. Siquidem Æſchyli pater es. montem ex manu facis. nauale prælium committis ex ſicco. Datidem e mari pedeſtri pugna decertantem exhibes. operum hæc omnia veſtrorum ſunt. at at ampullas iſtas & phaleras omittamus. Tenuit Cynœgirus nauim, rudentis id negotium eſt, hoc longè uelius anchora fecerit. Iſte arripuit, alter abſcidit. remoram hic facere abeuntibus conatus eſt; illi nihilo ſegnius perrexerunt. Quid hic ſingulare, nouum, illuſtre, mirabile? quid eiuſmodi cur præferēdus tribuno militari miles gregarius videatur? At manum in facinore reliquit. Quid tum poſtea? an hoc ille paſſus eſt vnus omnium. Viri Athenienſes ſi cui forte veſtrum adire pugnæ locum, obire exercitum, circuire caſtra libeat. næ ille quamplurimos peius etiam quam hic habitos inueniat. hos quidem vtraque pariter truncos manu. pedibus

alios mutilos, vel vtroque vel altero, resectis auriculis deformatum non neminem. multis abscissa capita. alias alijs corporis partes amputatas. Sat ne multos habeo Cynægiri similes? At Callimacho cum omnes peruideris parem reperias neminem. quis enim vt ille stationis constantiâ fallens pro viuo mortuus? quis ita certus in pugnâ miles? Nunc te magis miror ô Callimache Fili. cum Cynægirum audio vnico ictum vulnere corruisse. O similia multa perpèsse vulnera nec tamen mote. Te Persarum quisque magnâ turba prætereuntium muliebris impotentia quâ exanimata corpora lacerabant, te, inquam, vnum eximium & sanctum habuit. Ac cum in cætera passim corpora fœdè sæuiretur, nullus te Medus acinaces, neque Persicus gladius, neque hasta Babylonia, neque securis Phœnicia delibauit, præstrinxit, aut omnino violauit. O te solum omnium non casus tantum, sed inuidiæ etiam, odijque hostilis expertem. Perstitisti semper ipso habitu corporis testatus victoriam. Et post excessum animæ, pugnanti similis restitisti. O ingens miraculum! nunc primum videri ceptus est immortalis mortuus. Iam nunc intelligo tuæ pulcherrimæ gloriæ, tuæque

pugnæ præceſſiſſe tibi omen in nomine. Inclama nunc ad rauim, ſi lubet, Cynægirum tuum, cuius ipſa illa, quæ obſcura videtur appellatio, ſi quis indagare ſubtilius notationem velit dudum ſignificabat exercitationem ipſum ludicram Barbaris non negotium ſerium exhibiturum. Meus vero filius incredibili ſubnixus animi robore iuſtâ integrâque pugnâ ſuperior euaſit. Itaque iſta longè maxima gloria quæ in nomen græcum vniuerſum ex Marathonicâ victoriâ redundauit, illi accepta vni referenda eſt. cum enim duces cæteri qui bello adminiſtrando ſummo cum imperio præerant multitudinem veriti ſuperſedendum pugnâ cenſerent, huius calculus fluctuanti, & æquis vtrimque libratæ ponderibus, de conſerendâ pugnâ, hoc eſt de ſalute Græciæ expediendâ controuerſiæ, huius, inquam, vnius ſententia momentum & inclinationem attulit ſalutarem. Ille nihil præuertendum prœlio: debellandum maturè cum barbaris: vtendum alacritate militum; neque committendum vt ardor animorum hebetaretur & langueſceret mora, quibus rebus ſalus noſtra continebatur, ſua ſententia vicit. vt non minus vtilem neque minus neceſſariam reipublicæ opem

decernenda quam committenda pugna nauauerit. quare si quod amplum, si quod magnificum apud Marathonem susceptum à quoquam & patratum est facinus: author eius & causa agnoscendus eatenus certè Callimachus est, quo absque illo fuisset vtique nihil illorum futvrum erat quæ ex contracti certaminis occasione sunt consecuta. quæ equidem ratio cum ad omnes pertinet qui suam ad Marathonem fortitudinem cõmendarunt, tum ad Cynægirum vel maximè. in quo si quis repugnare præfractius si contendere pertinacius porro pergat, huic ego cum interrogatiunculam vnam quandam oppoſuero glorioſas iſtas manus det nobis oportet, seque vltrò victum fateatur. Age sane. refer sis animum. ad hæc quid dices? audaciæ miraculum in Cynægiro prædicas. audio. at numquid ille audax vitâ tenus atque anima dumtaxat fuit? id tu negare modo ne possis nihil sane laboro quibus te sententiolarum axiomatis consoleris. dicas licet quantum voles cessisse hominem ea sorte editum, legi, & necessitati communi, neque vero inhonestũ esse mortali, cum vis fatalis ingruit victum se à morte confiteri. hæc enim vt excusandum Cynægirum faciant, certè Callimacho præse-

rendum numquam euincent: huius quippe virtus præter ſummam vtilitatem, illuſtris, etiam, auguſta, iucundiſſimaque ad aſpectum extitit, natura ipſa copioſior, ſupra vim humanæ animæ immortalitate ſua quadam propria nitens. Ac fortes ſanè milites multos Macedonas reperias, Callimacho quem mors non afflixit, ne conturbauit quidem aut interpellauit, qui poſtquam iam vixerat, vicit, qui circumſcriptos omnibus mortalibus vitæ virtutiſque limites, fortitudine pluſquam heroica tranſgreſſus eſt, vt gentes perſcruteris omnes neminem vnum quí comparari poſſit inuenias. O pulchrè pugnans! ô pulchrè vincens! ô te inuulneratum; & innumeris iaculis tranſuerberatum. quis te ſatis, aut qua ratione pro merito laudauerit. non eſt Æſchyli, non poëtarum, non Rhetorum, huiuſmodi. maiores hæc tragœdia cothurnos petit. dignum argumentum, in quo diuinus Homeri ſpiritus, Heroica vena, tragica vox impendatur. O ſcopum in quem omnis vnum conſpîrans Aſia collimauit. O te prædicandum qui regium exercitum tua morte ſpoliaueris. qui ſpolia opima de Barbaris tela innumerabilia ceperis & tenueris. O Auguſtum anathema belli; O pulchérrimum ſimulacrum

Martis. O non iam cadauer administratoris belli; sed Præsidis exercituum, & bellorum Dei signum ad viuum expressum. omnibus Asiæ telis tamquam radijs vndecumque cinctum. O te solum omnium verissimam belli stolam indutum; O habitum ingenuũ! O speciem liberalem. ô generosam. ô Marathone dignam. ô cuius erecto vertice tãquam Atlante cœlum sublimis Græcia stetit. O naturâ maior. O duorum certaminũ, vnius cum Dario, cum morte alterius Egregie victor. O exemplar officij viuentibus iuxta mortuisque propositum. Tu tu virtutem quæ sola esse spirantium putabatur etiã mortuis vindicasti. O cogitationem, ô consilium amplius vitâ! ô multis viuis pugnaciorem vnum mortuum! quid dico mortuũ? habebat vtiquè, habebat mentem diuinam in exangui corpore. secundam quandam, cœlestem, excelsam, priore maiorem & multo maximam animam. quæ ex innatâ sibi propriaque virtute tam constanter in prælio dimicaret. Tu primus inuentus es qui pugnam mortui cum viuentibus spectãdam dares. Tu morte constrictus licet eos quibus vegetis & præualentibus per vitam & valetudinem vltro citroque discurrere liceret ad certamen industriæ ad contentio-

nem fortitudinis prouocasti. Ac cętera quidem quæ ducis, quæ ciuis erant perfecit cumulatè dum viueret Callimachus omnia: Profusa deinde, vt pugnantem pro patria decebat, in bello vita corpus extinctum in immortalem speciem statuit & defixit. corpus enim hoc mirabile vt inter ipsum & discedentem animam conuenerat, sic prorsus perstitit. O magna, ô miraculo simillima standi constantia. Eadem opinor quæ per terræ molem vniuersam commeare & pertinere anima dicitur tuum quoque pectus obsederat. Tuane te virtus robur fecerat ex homine, qui iactis tam altè radicibns niteretis. O Plantam solo Marathonico dignam: O te firmiorem insulis. ô te integris vnum populis, defendendæ llbertatis constantia clariorem. vastata omnis & direpta, classique imposita barbaricæ fertur Eretria. Naxus vniuersa quanta est, cum indigenis inquilinisque omnibus contrusa est in naues: vnus inuentus Callimachus montibus constantior, scopulis firmior. at terram quidem plerumque concussam scimus. & reuulsas innare insulas fluctibus ventisque iactatas viderunt homines. vnum hominem tam tumultuosus, tam vehemens furor turbulentissimi belli, de mentis, ne de corporis qui-

dem ſtatu dimouere vel tantillum potuit. O murus. ô propugnaculum publicæ libertatis, omni virtute quæ Atticum decet animũ, exaggeratum! O miraculorũ quæ viſa apud Marathonem ſunt, maximum & diuiniſſimum! O inter prodigia quæ illic oblata memorantur eximium vnum maximè. Conſtitit eleganti generoſaque ſpecie mortuus nihil à primo quod impreſſerat veſtigio quidquam dimotus, mortuum diſsimulans, caſum pro ſumma ignominia cauens. vicaria quadam digreſſæ iam animæ virtute inſtinctus. cœlum quo aufugerat ſpiritus intuens. iter oculis legens viam metiens, & deſtinans, ac pæne oblitus molis ad aſſequendam animam impetum capiens. Dicã equidem quod ſentio. laborat in hoc fides. tantamne eſſe potuiſſe vim exanguis & frigentis ſarcinæ? animam credo ipſam cum exturbata telis ex corpore eſt non continuò aufugiſſe ex acie. ſtetiſſe iuxta ſua tenuitate fallentem aciem, rem cominus & ſtrenuè ex occulto geſsiſſe, ac præſentem tenturam ſe corpus, ſuſtentaturam infirmitatem, prohibituram caſum recepiſſe. O tuam mortem magno prodigio cohoneſtatam. hoc illud tandem quod vidiſti Polyzele ſpectrum Callimachus, ſi neſcis, fuit. conuc-

nit sanè species quæ oblata tibi dicitur, cum studio & animo Callimachi. qui dum viueret infestus semper atque intolerandus hostibus, insatiabili pugnandi cupiditate insistens, vltrò dictis hostem lacessebat, cum ita clamaret. O vilissima Darij mancipia. non hic Scythæ, neque Ister fluuius, non incertis sedibus semper vagæ cateruæ Nomadum. non hic familiæ, & domus in plaustris. quæ vos tamen, tam prauis estis animis, miseris Hamaxobijs inuidistis. Sed Atticam videtis, & stirpem Pelopis. ex tali ego genere tali in solo hic nunc consisto. hic maneo. Qui primus malè perire cupit, accedat. Figunt, transuerberant imo quibusdam quasi floribus coronant me vndique tela vestra. tamen adhuc dico: figite me quid cunctamini? quin agitis? quid iaculis parcitis. reti me quodam, aut crate, ex decussantibus se complexo telis, circum si placet, cinginte. indagine me bellicâ circumsepite, ne quà vobis elabar. quis Datis? quis Intaphernes? En adsum paratus. omnes vnus prouoco. mactet euge me aliquis. me quoque Rex, si potest, euerriculo concludat. Postea vero cum iam irritati barbari, quidquid apud ipsos telorum fuit in eum coniecerunt. Hic mille li-

cet locis perforato pectore, gaudebat tamen in sinu. sibique sic gratulabatur. Spoliauimus Asiam. Tum commilitonibus denunciat. imperat. vrgete, tundite, fodite aduersos, auersos medos. ne telis, ne gladijs parcite. consilium & stratagema est, meus hic qui videtur casus. omnia de industria in me attraxi tela. quo vos nudatos eos impunè conficeretis. ite, cædite, inermes. nullum ipsis iam telum mea vulnera reliquum fecerunt. Iam quod studium, quæ collimatio, quantus labor barbarorum fuit? omnes in vno eniti, vi, astu, manu, ratione, oculo, consilio, negotium idem omnium, hoc destinare, hoc petere, pro se quisque omnes. si molem illam constantiæ quę sibi iter Athenarum intercluderet deijcere possent. nihil illa titubabat. vana omnis molitio, labor inanis, nullus impetus impellere, nulla vis conuellere, nullus conatus refigere, conglutinatum & defixum in vestigio virum potuit. Itane vero qui tantas tot propugnaculorum manu naturâque munitissimas expugnarunt & complanarunt moles. qui procellosi Bosphori furores eluctati illi indignanti licet ac omni sæuitia renitenti freto, iugum superbi pontis imposuerunt. qui in hoc valuerunt vt

maris Scythici fluctus tempestatesque frangerent. Eos tales, tam minaces, inuentus est qui sisteret, qui sperneret, qui eluderet, vnus homo Callimachus. Ergo in illâ procella, reciprocantis alterno æstu prœlij omnis intentus arcus, in Callimachum, omnis oculis erat. hic iam certiora ipsi à se ipsis vulnera quam intulerant patiebantur, si attigerant, merces operæ præsens; si aberrauerant, erroris cumulus cædes erat. ingens circa Callimachum dabatur strages. formidolosus illo in æquore scopulus hic quidam Barbaris extabat, minaci erectus specie. in quem si quis fluctu quodam tumultuantis turbæ iactatus abriperetur, is velut impacta ventis in saxum mari prominens nauis haud dubiè collisus conterebatur. tali enim consilio in eam se partem obuerterat. hæc eius omnino mens erat, hæc spes, hæc cogitatio cum truci obstinatione animi, vultum totumque corpus mare versus obfirmans suprema hâc seipsum voce commoneret. sta Callimache. nihil hinc te moueat. Interim Barbari omnibus viribus, omnibus machinis, tamquam in murum firmissimum inuecti, nihilo plus quam antea proficiebant. quin sui ipsis in impedimenta vertebant apparatus. siquidem

dem tot tela quibus illum fixerant difficiliorem eundem aditu dejectuque præstabant. hastarum illa quâ horrebat seges, sepes erat, & munimentum expositi alioqui corporis, quod suis vbique innumerabilibus plagis quibus nulla pars vacabat, à periculo omnis noui vulneris tectũ erat. Ergo ex ijs multi qui sui securi, intenti in Callimachum, in eo expugnando laborabant dum hoc agunt suorum sagittis ex diuersâ parte à scopo aberrantibus, confixi peribant, vt stans ille circumstantium plurimis cadendi causa foret. quæ Datis cum cerneret iræ iuxta mentisque impos atque consilij frendebat enimuero tot myriadas in vno mortuo frustra laborare tamdiu, ergo iracundiâ præceps inuisum mortuum diris deuouebat. Tum suis Barbaris, non ibitis, aiebat, non deturbabitis, non tolletis de medio, non prosternetis gloriosè contumacem mortuum? ô Hominem mirabilem! tibine hoc ignominiosum putas fore si à trecentis armatorum millibus circumuentus occubueris? adhuc manes? adhuc pugnas? quot age dic nobis? quot tibi adhuc restant animæ? heu me miserum! vincat nos, proh Iuppiter mortuus vnus Athenienſis iam iam tela condite, arcus re-

mittite. nolo lædatis, nolò occidatis. robur additis Athenienſibus ſi vitam aufertis. mirabile iſtuc genus hominum : pugnaciores morte fiunt. quis tibi author Rex Darie ſtulti conſilij; quantum tu hic nobis negotium impoſuiſti. quantum vero tibi ipſi impoſitum eſt. qui hoc perſuaſus es vinci Athenienſes poſſe. Immortales inimicitias cum immortalibus hoſtibus mortalis ipſe ſuſcepiſti. quid nos in iſtos non Macrobios ſed æternos, ſed poſt mortem viuaces homines quid tandem poſſimus? neſcit iſta gens cadere quam nos ignari rerum conculcatum veneramus. quas Medi, quas Perſæ hactenus pugnandi artes & rationem in pretio atque in vſu habuerunt, leue quiddam hîc & futile, nullamq; prorſus in hoc genus vim habent. Athenienſium mortui pro viuis pugnant. magnam partem prælij exanimi vnius cadaueris confecit dextera. Regius iuterim miles, ipſum erectum ex aduerſo coniectis ex omni parte haſtilibus, circumcinctum & trajectum vndique, cum cerneret, fugiamus, exclamabat, conſcendamus & ſoluamus naues. iam enim iam trophæum Athenienſes erexerunt. Hæc ſentiendi, hæc dicendi de nobis occaſionem Barbaris fili præbuiſti. O

venerandum terminum belli! ô columnam velut herculeam quam vltrà ire pugnando possit nemo! ô fautorum præsidumque Græcæ rei Deûm dignum spectaculum! Tibi quidem Pan fauit, tibi auxiliatus vltro est. tibi eidem applausit Iuno. Te armata Pallas in periculo obtentu suæ protegebat Ægidis. Te circa stetit Hercules. astitit Theseus, iactabundâ specie se ostentans & glorians suæ vrbis suorum nepotum tam diuinam esse virtutem. his tot Deorum, hominumque præiudicijs, te oportet vtique fili honoris principatum inter cæteros ad Marathonem cæsos obtinere. mihi quoque tuo patri præ cæteris concedi istud æquum est quod postulo munus solemnis in te tuosque milites laudationis perorandæ. Abi igitur, ô Euphorion, ito age, tuumque illum humi afflictum, in cadauerum turbâ conculcatum mortuum sepulturâ dona. conde tumulo manum quam inflictâ securi calonum Barbaricorum abrupit aliquis. Si tamen aliquis: & non muliebre instrumentum à manu sui generis impactum est. Cæterum quicumque tandem vir aut mulier, non ardui facinoris author extiterit. is cum illam manum abscinderet, suum aliquid, nihil vestrum violabàt. Tum enim illam

abscidit cum non iam membrum Græci militis, sed rostrum barbaricæ nauis erat. hic finis verborum grandium, huc ampullæ illæ gloriationis minacissimæ reciderunt. hæc intemperantis, cæterisque membris omnibus impotentioris linguæ superbam ferociam hæc pœna compescuit. hæc contudit. Ac cæterorum quas abscindere potuerunt Barbari Græcorum militum manus, pro templorum suspensæ foribus prostant funiculis in pugnum constrictæ. Ista vero tantopere iactata Cynægiri dextera à prora quam inuadebat statim & facilè repulsa est cum ne eatenus quidem adhuc sui cogitati compos esset facta vt lignum carinæ sidoniæ tangeret. Tu autem ô fili antiquam nostri generis gloriam factis tuis affirmasti, verissimè enim authores nostræ gentis veteres illi tres pueri indigenæ prorsus ipsâ ex hac terrâ nati sunt. eâ gratiâ te perlibenter nepotem suum Terra stantem sustinuit, viresque suffecit vacillanti, cum tam generoso tamque nobili te præditum animo videret, itaque ad miraculum studiosum patriæ, vt vitam atque animam pro ea profundere minimè dubitares. quæ cum ita sint omnia: mea vtique ô Euphorion potiori iure causa nititur dum hoc conten-

do mihi vt priori liceat meritis exornare laudibus Filium, & ad gratulationē victoriæ hanc velut tragœdiam exhibere. satisfacies tu postea, si tibi videbitur, dolori tuo. dabunt tibi, opinor, hanc veniam, iudices, vt postquam ego perorauero lamentatione quoque tuâ defungi tibi liceat. Dixi.

AD ORATIONES POLEMONIS NOTÆ.

I. ΕΠΙΤΑΦΙΟΙ ΛΟΓΟΙ. Diuinationes hæ potius quam laudationes funebres; & in iudiciali genere non in demonstratiuo videtur esse. Sed nimirum in hoc vmbratili ac scholastico dicendi ludo ferè ista miscebantur. vt, quia laudationes omnem luxuriem iuuenilis facundiæ facilè caperent: idoneæque propterea essent ad alendam in tyronibus dicendi facultatem (quam ob causam laudatiuum genus quasi nutricem perfecti Oratoris esse dicit Cicero in Oratore) Adolescentes in iis potissimùm exercerentur: Rursus vero quia omnis ista declamatoria meditatio ad veras causas & seria iudicia comparabatur, ita quæstionum status conformarentur à Magistris vt in aliquam speciem iudicialis controuersiæ panegyres ipsæ fingerentur.

2. Νόμος ὁρτῆς, &c. De istâ celebritate in accuratis illis festorum Græciæ indicibus nescio quamobrem prætermissa audiendus testis ido-

neus Thucydides lib. 2. Ἐν δὲ τῷ αὐτῷ χειμῶνι οἱ Ἀθηναῖοι τῷ πατρίῳ νόμῳ χρώμενοι, δημοσίᾳ ταφὰς ἐποίησαν τοῖς ἐν τῷδε τῷ πολέμῳ πρῶτον ἀποθανόντων, ξύλοις. Τὰ μὲν ὀστᾶ προτίθενται τῶν ἀποθανόντων πρόσθεν σκηνὴν ποιήσαντες· ἐς ὃν φέρει τῷ αὐτῷ ἕκαστος ἤν τι βούληται· ἐπειδὰν δὲ καὶ ἡ ἐκφορὰ ᾖ, λάρνακας κυπαρισσίνας ἄγουσιν ἅμαξαι, φυλῆς ἑκάστης μίαν· ἔνεισι δὲ τὰ ὀστᾶ τῆς ἕκαστος ἦν φυλῆς· μία δὲ κλίνη κενὴ φέρεται ἐστρωμένη τῶν ἀφανῶν, οἳ ἂν μὴ εὑρεθῶσιν εἰς ἀναίρεσιν. Ξυνεκφέρει δὲ ὁ βουλόμενος καὶ ἀστῶν καὶ ξένων. καὶ γυναῖκες πάρεισιν αἱ προσήκουσαι ἐπὶ τὸν τάφον, ὀλοφυρόμεναι· θάπτουσιν ἔν ἐς τὸ δημόσιον σῆμα, ὅ ἔστιν ἐπὶ τῆ καλλίστῃ προαστείῳ τῆς πόλεως· (καὶ ἀεὶ ἐν αὐτῷ θάπτουσι τοὺς ἐκ τῶν πολέμων, πλήν γε τοὺς ἐν Μαραθῶνι. ἐκείνων δὲ διαφερόντως τὴν ἀρετὴν κρίναντες, αὐτοῦ καὶ τὸν τάφον ἐποίησαν) ἐπειδὰν δὲ κρύψωσι γῆ ἀνὴρ ἡρημένος ὑπὸ τῆς πόλεως ὃς ἂν γνώμης τε δοκῇ μὴ ἀξυνετὸς εἶναι, καὶ ἀξιώματι προήκῃ, λέγει ἐπ' αὐτοῖς ἔπαινον τὸν πρέποντα· καὶ ἐπὰν τοῦτο ἀπέρχονται· ὧδε μὲν θάπτουσι· καὶ διὰ παντὸς τοῦ πολέμου, ὁπότε ξυμβαίη αὐτοῖς ἐχρῶντο τῷ νόμῳ· ὅτι δ' ἔν τοῖς πρώτοις τοῖς δὲ Περικλῆς ὁ Ξανθίππου ἦν ῥηθῆναι λέγων. Hoc est interprete vallâ.

Eâdem autem hyeme Athenienses vetere institu-

to buſtum publicè fecerunt iis qui primùm hoc in bello mortem oppetiſſent, Hunc in modum. Facto ante triduum tabernaculo, mortuorum oſſa proponuntur. & ſuorum quiſque reliquiis ſi quid libeat imponit. Quum efferuntur ſingularum tribuum arcas ex cupreſſo, ſuæ quamque tribus oſſa continentes, vehicula portant. Unus item thorus inanis fertur conſtratus eorum qui non extant. qui inter cæſos non fuere comperti. Efferunt autem promiſcuè voluntarij quique vel cives vel hoſpites, feminis propinquitate coniunctis ad ſepulcrum eiulantibus. Conduntque in publico monumento quod eſt in pulcherrimis vrbis ſuburbiis (vbi ſemper eos ſepeliunt qui in bello ceciderunt, præterquam qui in Marathone quorum ſingularem fuiſſe virtutem exiſtimantes eodem in loco ſepulcrum fecerunt.) Poſtea vero quam eos humauerint, Aliquis ab ipſâ ciuitate delectus vir haud quaquam pro inconſulto habitus, & cui pro dignitate conueniat, ſuper illis Orationem habet qualem decet de illorum laudibus: quâ habitâ diſceditur. Hoc quidem more ſepeliunt quo per omne belli tempus, quoties id eis accidit legitimo vtuntur. Vt autem ad hos qui primi oppetierè, laudãdos Pericles Xanthippi filius delectus eſt. &c. Habes in his rationem, modum, ritum, tempus & reliquas. Θεσίσεις huius celebritatis. Nomen nuſquam quod ſciam proditur. Si diuinandi locus eſt dicamus ſanè vocatum hoc feſtum Θανατώσια: certè ita dici rectè potuiſſe inficias, opinior, iuerit nemo. Meminit Lucianus huiuſmodi cuiuſpiam feſti quod apud campos Elyſios magna mortuorum omnium lætitia ce-

lebraretur vt ſcurra ille more ſuo fabulatur lib. 11. Verarum Hiſtoriarum. vbi poſt deſcriptionem inferni illius Paradiſi & prolixum catalogum Heroum, multoſque ſermones cum illis ſuos, Addit contigiſſe dum ipſe ibi eſſet vt recurrente ſtato tempore ſolemne Thanatuſiorum ludicrum celebraretur. προϊόντος δὲ τοῦ χρόνου ἐνέστη ὁ ἀγὼν ὁ παρ' αὐτοῖς Θανατήσια. ἠγωνοθέτει δὲ Ἀχιλλεὺς τὸ πέμπτον, ὁ Θησεὺς τὸ ἕβδομον. *Procedente autem tempore inſtabat certamen quod apud illos Thanatuſia appellatur. Præfuit Achilles iam quintùm. Theſeus vero ſeptimũ.* Non fefellit hic locus viri doctiſſimi diligentiam qui repente illo fretus vno in Græcia Feriata Thanatuſia poſuit. Quod exemplum ſi recipitur videndum deinceps Geographis erit vt in Atticâ locum deſignent Necroacademiæ, cuius nimirum idem ille perridiculus artifex nugarum meminit ibidem. Cæterum vt ad Polemonem redeamus ſuſpecta hinc redditur illa eius lex quæ ſcilicet iuberet eum orationem habere funebrem qui Pater eſſet omnium honeſtiſſimè mortui proximo bello. Atqui Thucydides, vt vidimus, ait oratorem deligi ſolitum communibus ciuium ſuffragiis qui modo diſertus & prudens eſſet, & ad hæc, dignitate præcelleret in ciuitate. quæ omnia cum in Periclem egregiè caderent is teſte Thucydide, vt modo diximus, electus eſt ad id munus. Nec vero diſſimulare aut ſibi conſtare noſter potuit dum facit infra confitentem Euphorionem: *liberam in*

eo munere demandando potestatem populi esse debere. Et alio loco, se à populo eligi ideò debere ait, quod *& inter magnates nominatissimus esset; & alioqui nihilo minus strenuam haberet linguam quam filius manum quæ alludunt omnia ad Thucydidem.* Ex Cicerone porro in Oratore intelligimus posterioribus temporibus mutatum esse aliquid in ratione festi huius. illud certe, si nihil aliud, vt non iam deligeretur orator, sed quotannis Oratio ad eam panegyrim à Platone scripta, recitaretur. Vide locum Num. 151.

3. Τετολμυμένων. testatur editor Stephanus in alio libro reperisse se τετελεσμένων cui tamē τετολμημένων præferendum putauit: nec tamen non admonendus eâ de re, quæcumque est, cum fide Lector fuit. Paulo post. χῇ μέσῃς. Legitur, inquit Stepanus, χῇ μέρη. vt cumque sit reddit opinor eundem sensum quem expressimus in paraphrasi. Cæterum χῇ μέρη infra quoque legitur simili sensu. ὁ ὃ ἐμὸς καὶ χῇ μέρη νενίκηκεν.

4. pro ἐξῆλθε liber Stephani legit ἐπῆλθε. Paulo post. χεῖρα μεγάλην manum magnam. Qualis nimirum esse putabatur Heroum aut Deûm.

Et Pater ipse manu magnâ Portunus euntem
Impulit.

Virgilius V. Æneid. Altero hinc versu. τῷ Βασιλέως ναυτικῷ nimirum Regis Persarum. de quo monendi adolescentes erant, quibus hæc scribimus. Cum enim Βασιλέα simpliciter Græci veteres dicunt illorum Temporum, Regem

Persam intelligunt. adeóque ita loquebantur cum incubantem Græciæ ceruicibus Philippum Macedonum Regem haberent. vt passim videre est apud Demosthenem, Isocratem, &c.

5. Inter voces : κοινωνῶ & τῆς παρέσης. infindebat liber alius, τοῖς δικαίοις quæ voces, cum nec incommodæ nec necessariæ sint, hoc ipsum tamen moneri tanti visum est.

Paulò post. ἐπολεμάρχησε μὲν ἦν κ' ὰν ἔπεφε λαχών. Nam πολέμαρχοι sorte creabantur. vt de hoc ipso Callimacho testatur Herodotus lib. VI. ὧν γὰρ ἐνδέκατος ψηφοφόρος ὁ τῷ κυάμῳ λαχὼν Αθηναίων πολεμαρχέειν. &c. τῷ δὲ τότε πολέμαρχος Καλλίμαχος Αφιδναῖος &c. quæ sic vertit Stephanus. *Quod vndecimum suffragium ad eum pertineret qui ex factâ per fabam sortitione Polemarchus Athenienſium creatus esset* &c. *Erat autem tunc Polemarchus Callimachus Aphidnæus.* Erat Hic magistratus militaris, vt videtur, infra στρατηγός qui decẽ erant ex Herodoto iam laudato. Post quos demum omnes Polemarchus vndecimus suffragij ius habebat. idque antiquitus vt ait Herodotus indicans suo tempore nequaquam id illi iuris fuisse. Plura de hoc Magistratu apud scriptores Atticarum rerum veteres recentioresque videre est. στρατηγοί porro videntur non sorte sed populi suffragijs electi Herod. supra. de Miltiade qui in acie Marathoniâ vnus è decem στρατηγοῖς siue Imperatoribus fuit. στρατηγὸς Αθηναίων ἀπεδέχθη αἱρεθεὶς ὑπὸ τοῦ δήμου. *Imperator populi suffragijs creatus est.* Quinque admodum versibus inferius ἐγὼ δὲ videtur rescri-

bendum λέγω δὲ. &c.

6. Indicat Stephanus loco: ἀπ' ἀρχῆς, ἀλλ' ἀπ' ἀρετῆς scriptum in libris fuisse ἐπ' ἀρχῆς ἀλλ' ἐπ' ἀρετῆς. Sed se ad illum priorem modum correxisse. Paulò post ἐπισάν γ' τοῦ ἄλλους πολεμάρχους ἐρᾷς &c. satis cōstat ex Herodoto vnū in exercitu πολέμαρχον fuisse. Intelligit ergo noster hoc loco illos qui in alijs superioribus bellis alias hunc honorem gesserant. Tertio admodum hinc versu ἐξῆρχε. putarim legendum ἐξήρκει. Quarto hinc quintove versu καθαρᾷ σπουδῇ reddo latinè: *expeditâ alacritate animi.* Hoc enim valet καθαρὰ hoc loco. sic apud Herodotum lib. IV. αὐτὸς μὲν σὺν τῷ καθαρῷ τοῦ στρατοῦ &c. hoc est. *Darius ipse cum eâ parte exercitus quæ expedita ad iter erat.* Quæ est commodior ad eius loci sententiam versio quam ea quæ à Vallâ suggeritur, *cum flore copiarum.* Tametsi rem eodem redire videri possit. Quamquam cum ibi narret Historicus: Darium metu perculsum infirmos omnes cum parte impedimentorum deseruisse in castris, ipsum quidquid ad iter expediti militis fuit secum ad fugam versus Istrum rapuisse ne pontem occuparent Barbari, rei ipsius & sententiæ ratio metvm potius facit.

7. Ἅτε μιεχάνων. ἐξιών &c. videndum an non melius legi possit ἅτε μιεχανίων ἐξιών. vel ἅτε μιεχανίων ἐξιών.

8. Παίτως. alius liber. τὰ παίτα.

9. Ὥσπερ ἀπόλους. Non hîc opinor nuncios significat; sed instructas & armatas classes: quâ in significatione vocem illam à summis Au-

ticis vſurpatam conſtat. Sexto ſeptimoue hinc verſu ἰδιωτήρα ἢ ἐνδικωτέρᾳ. alius liber ἰδιαίτερόν ὅτι ἢ ἐνδικότερον. fortaſſe melius ex more Græco. Ex quo illud eſt etiam Latinè. Triſte lupus ſtabulis. &c. Paulò poſt. ἄκοντα συμέπεσον ἡ σάσις ἐκ τῆς τῶν βέλων συμφορᾶς. Quo verbo hanc vocem σάσεως redderem dubitabam. ſubijt illud Horatij.

Aut quid minaci Porphyrion ſtatu? quod huc forte pertinere poſſit. vt ibi *ſtatus* ſit noſtra σάσις. Cæterum vox συμφορὰ hoc loco ſignificatione ſatis rarâ non calamitatem, vt vulgò, ſed congeriem ſignificat. quod hic miratur Stephanus. ſed idem deinde in Lexico notionem hanc agnouit huius vocis. & teſtimonijs affirmauit. Mox ἑ αὐτὸν ἀφῆκε, reddidi, ſenſum potius quam vocem attendens: *denouit ſe vltro*, Quinto hinc ferè verſu. pro βεβηκέναι libri habebant βεβληκέναι. Sed Stephanus illud maluit.

10. Ἀλλήλοις ἐχομένων. libri συνεχομένων. vt Paulo ſuperius μυείας. αὐτὴ τῦ. δειμάτας. & περιπεσόντα τῷ χήματι. cum vulgata lectio τῷ σώματι melior ſit.

11. Καὶ τέλος αὖ τοὺ βαβάρυς ἔχε χερσαῖα ναυάγια. Non dubium quin ad naufragium alludat quo prior expeditio Darij in Græcos Mardonio duce fracta & diſſipata fuerat ad Montem Athon. Ex Herodot. lib. VI. quando hauſtæ fluctibus aut alio modo corruptæ ſunt naues trecentæ. Hominum ad viginti millia. Itaque ſenſus eſt. cum primâ expeditione maritimo naufragio corruptæ fuerint Barbarorum res. Hâc 2. terreſtri nau-

fragio funditus fuissent profligatæ. Terrestre autem naufragium vocat quo non vi Tempestatum in medio mari; sed impetu hostium in ipso portu naues capiũtur aut quoquo modo pereũt.

Post 6. versus περιβόλῳ καθαπερεί τινι τῆς ἀσσυρίου χωρᾶς. περίβολος & περίβολοι. interdum scopuli in mari eminentes. interdum in terram defixæ sublicæ. hîc vallum aut propugnaculum sonat. ἀσσύρια χώματα dicit quia ab Assyriorum regibus multæ munitiones extructę fuerant: & videlicet adhuc visebantur in Assyriâ substructiones regiæ magnificentiæ. Quid vero illud quod statim sequitur χαλίμαχοι ἐσαγωσύσαμεν? neque enim quid esset σαγωσύνειν satis adhuc explicatum apud vllum reperi. Ac quod ad rem præsentem spectat certum quidem videtur vel animaduersionis vel inquisitionis genus id fuisse quoddam, quo Persæ post victoriam frequenter vtebantur in victos. Id adeò duorum grauissimorum auctorum concordi testimonio constat. Herodotus enim libro sexto, sic ait ὅκως ἤ λάβοι τίνα τῆς νήσων (ναυπικὸς στρά-τος Περσέων) οἱ Βάρβαροι ἐσαγήνευον τὰς ἀν-θερώπους. Hoc est: interprete Vallâ. *insularum vt quamque ceperant, euerriculabant.* Confirmat idem Plato libro III. De legibus simulque ostendit fuisse illud formidolosum quiddam atque atrox. Sic enim ait. Καὶ ὁ Δά-ρις τὰς μὲν Ἐρετρίέας ἔν τινι βοαχῶι χώρῳ παν-τάπασι κρατος εἶλε μυριάσι συχναῖς. καί τινα λόγον εἰς τὴν ἡμετέραν πόλιν ἀφῆκε φοβερὸν,

ὡς ἀδὴς Ἐρετρίεων ἀυτὸν ἀποπφευγὼς εἶπ' συ-
νάψαντες γὰ ἄρα τὰς χεῖρας σαγηνεύσαιεν
πᾶσαν τὴν Ἐρετρικὴν ὁι σφετέρας τῦ Δατίδος.
Hoc est interprete Serrano. *Datis Eretrienses quidem intra paucos dies ad ingentem multitudinem omnes subegit* (melius verteret : magnitudine copiarum, ac militum multitudine obrutos perdomuit :) *Et Nuncium formidabilem ad nostram vrbem curauit deferri, ne vnum quidem Eretriensem ipsius manus effugisse, sed collatis mutuò manibus vniuersam Eretriensem in vnum quasi rete intrusisse milites Datidis.* Hæc Plato. Hoc ex vtroque testimonio colligimus solemne istud habuisse Persas in Bellis Græcis. Nam de prima Darij Expeditione in Græcos duce Mardonio testatur supra Herodotus. De secunda duce Datide hoc loco Plato. Finis huius σαγηνεύσεως. vt nemo effugeret quod stolida præceps ira mãdarat euntibus Darius, Herodoto teste. Modus hic videtur fuisse. Postquam insulam subegerant aliquam Barbari, vt nemo iam resisteret palam : quò ne latebris quidem vllus seruaretur ; ab littore maris consertis inuicem manibus tam longâ serie quam esset illa regio vel insula lata, in Mediterranea procedebant. Ita fermè Herodotus lib. IV. iam laudato. σαγηνεύσι ἢ τῶτον τὸν τρόπον ἀνὴρ ἀνδρὸς ἀψάμενος τῆς χειρὸς, ἐκ θαλάσσης τῆς βορηίης ἐπὶ τὴν νοτίην διήκυσι, ἔπειτα διὰ πάσης τῆς νήσου διέρχονται ἐκ θηρεύοντες τὸς ἀνθρώπους. αἱρεσι ἢ τὰς ἐν ἠπείρῳ πόλιας τὰς Γάδας καὶ τὰ ἀυτά.

Πλὴν ὐκ ἐσαγήνευον τὰς ἀνθρώπους. ὃ γὰρ οἷά τ' ἦν. Hæc ita Valla vertit, *Euerriculant autem in hunc modum : viri manum mutuò tangentes à mari Aquilonari ad Australe pertranseunt. post hæc omnem insulã peragrant venando homines. ceperunt quoque in continente vrbes Iades eâdẽ ratione. præterquã quod nõ euerziculabãt homines neq; enim poterãt.* Quare autẽ in continenti nõ poterant σαγηνέυειν ἀνθρώπους ; nisi quia cum non esset ex alterâ parte definitus, vt in Insulis, littore maris locus, infinita res fuisset. Et patuisset necessariò fuga perterritis hostibus in Mediterrãea loca. Eretria vero insularis ciuitas & vicina Athenarum & σαγηνέυεται à Medis ; & eius rei fama cito ex vicino perferri Athenas potuit. Iam ad locum Polemonis nostri cum σαγηνέυειν sit indagine cingere. siue ita vndecumque circumdare vt effugere non possit qui quæritur : Callimachus σεσαγηνευμένος dicitur quod defixis in terram vndequaq; telis ita conclusus & erectus staret vt neque fugere nec latere posset. huc quoque pertinet quod quod in extrema oratione loquens Callimachus fingitur ἐμοὶ τὸ τῦ πολέμυ δίκτυον περιτίνατε.

12. Ἀφιὲν. rectè monet Stephanus esse mendum. reponendumque ait : ἀφιὰς aut ἡ φίσις, vt hæc, inquit, dicantur ab ἀπ' ἄλλης ἀρχῆς. fortè non malè reponeretur ἀφίσι, commodissimo & planissimo sensu.

13. Ω σώτειρας. Alij libri σωτῆρες Altero hinc versu. ὦ ἱδρῶα λέξια, ὧν ἀνέπτιλε τοῖς Ελλησιν ἡ γῆ. ἀναπτίλλειν verbum astrorum est. Et est hoc loco non

non obscura antithesis in voce γῆ. vt cum cœlum proferre astra soleat. nunc Terra etiam Cynægiri dexteram tamquam stellam aliquam orbi salutarem ostenderit. Erant enim stellæ multæ quæ δεξιαὶ dextræ manus appellabãtur. quo, sine dubio, alluserit hoc loco noster. Et enim cum iam olim memoriæ causa stellę omnes in certas figuras digestæ fuissent; vel inanimarum rerum vt Lyræ, & Nauis. vel animaliũ vt Arietis & Tauri; vel hominum vt Cephei, Persei, Virginis &c. ab illarum figurarũ partibus astra fere nomen obtinebant. hodiéque apud artifices seruant. Itaque caput Arietis, chela Scorpij, Ala Corui, Leonis cor & cauda, Pes centauri & Scor corpij notissimæ veteribus stellę. quarum ortus & occasus obseruabantur. Igitur in ijs constellationibus quæ figurâ humanâ pingebantur quæ ad dexteram siniſtramue accidebant manum ex stellæ manus dextra siniſtra ve dicebantur. Talis est in Boote siue Arctophylace stella 1. Magnitudinis 5. In Hercule. 8. Magnitudinis 4. In Perseo 1. Nebulosa, vt vocant. In Aurigâ siue Heniocho 6. Magnitudinis 4. In Ophiucho 10. Magnitudinis 4. In Andromeda 8. Magnitudinis 4. Et alia in summis digitis dexteræ manus magnitudinis 3. Et ita de cæteris quarum ortus & occasus olim quam hodiè communius notabantur, vt intelligimus ex scriptoribus Antiquis Græcis & Latinis. Huc Euphorionem vel potius Polemonem respexisse non dubito dum Cynægiri dexteram ἀνατείλασαν facit tamquam Persei vel Andromedæ dexteram diceret. Paulo

ante dixerat ὦ χῆρες Μαραθώνιαι. Nimirum ex locis vbi insigniter probata virtus est cognomina sumuntur glorioſa, qualia erant illa Africanorum & Germanicorum.

14. ἐλεύθερον σῖλας. Lib. ἐλεύθεριον habẽt vt fatetur Stephanus. Aliquantò post pro χαλλίμαχος. legitur & ὁ πολέμαρχος non incõmodè. imo forsitan acutiori sententiâ. Quinto hinc sexto ve versu. οἷά σε φασιν ὦ σαῦ ζοὰν τῆς νεὼς ἐχόμενον. Νάξον ἀπαιτῶ τὴν ὑρπαομένην. &c. videtur allusisse his verbis Polemon ad legitimam illam formulam qua ex iure manu consertum res repetebant. Duobus indę versibus, μιῆζω τῆς φύσεως ζεζυλευμένε. Stephani liber ζεζυλευμένε qvod mihi quidem arridet magis. Mox. ὥσπερ ἐ νοήσας. alia lectio non inepta. ὦ ἐ σπρινούσας.

15. Ω᾽ δεινῆς μάχης παναθήναια μεμιμημένης. Potuit intelligere tantâ alacritate gestum atrox & cruentum prælium à Cynęgiro quantâ ludicrum Panathenaicum ab adolescentulis. Aliud tamen quiddam respexisse consentaneum est. Si enim ideo imitatum Panathenaica vellet dicere quod magna alacritate ad certamen accessisset, poterat Isthmia, poterat Olympia dicere. quærendum igitur peculiarę aliquid in celebritate Panathenæorum quod Cynægirus imitatus videatur arripiendâ naui. Aiunt in illa panegyri Panathenaicâ, delectos adolescentulos cum æqualibus virginibus consertis manibus saltare pyrrhicam solitos esse. Quid si igitur hoc nosster voluerit Cynægirum adolescentulum ita nauim iectâ manu tenuisse tamquam si puel-

Iam in Panathenęorum ludicro arriperet manu? Verum quid opus eſt in diuinationibus cõflictari cum rem ipſam haud dubiè teneamus. Vetus Scholiaſtes Ariſtophanis ad illum eius Poetæ verſum in Pace, Καὶ σοὶ τὰ μεγάλ' ἡμῖν Παναθήναι ἄξομεν. Notat in Panathenæis quæ quinto quoque anno celebrabantur (& maiora dicebantur ad differentiam minorum, quidquid ille ipſe quem laudamus Grammaticus contra ſentiat dudum à viris doctiſſimis caſtigatus) In Panathenæis, inquam, maioribus exhibebatur inter cætera ſpectacula Nauis per terram certis agitata machinis ſubterraneis vt natare in ſicco videretur. Verba Scholiaſtæ. τῇ δὲ Αθηνᾷ ἤγοντο (μεγάλα παναθήναια) διὰ πέντε ἐτῶν ὅτε καὶ ἡ ναῦς ἐπὶ γῆς πλέει παρ' αὐτοῖς. *In Minerua autem honorem aguntur*) Maiora Panathenęa) *Quinto quoque anno: quo tempore & nauis per terram nauigat apud ipſos.* Eadem habet Heliodorus Æthiopic. lib. 1. Quâ de re qui plura & diſtinctiora volet conſulat Panathenæa, Meurſij cap. XIX. Hoc igitur vult Euphorion filium ſuum Cynægirum viſum eſſe nauem terra trahere voluiſſe quod in Panathenæorum ludicro fieri ſolebat. Quod cum per ſe manifeſtum penè eſt: Tum nemo profectò dubitare poterit quin huc alludat loci ſententia ſi verba quæ hunc locum prędedunt conſiderentur. ὥσπερ οἱ νοήσας διὰ τῆς πεδίου καὶ τῆς ἱερᾶς ἄγειν ναῦν Αθηναίοις αἰχμάλωτον ὧν δηΐης μάχης Παναθήναια μεμνημένης.

15. Πολύζηλος. Quem Polemon iſthic & ſequenti oratione Polyzelum vocat. Herodotus

lib. VI. pag. 425. Edit. Græc. Lat. constanter Epizelum nominat eumque Cuphagoræ filium & Atheniensem fuisse dicit. An hoc μνημονικὸν σφάλμα Rhetoris extemporanei? Mihi quidem dubium non est quin hic potius corrigendus ex Herodoto sit. Hunc ad eundem lapidem Maximus quoque Tyrius offendit vt eruditissimus eius Emendator dudum annotauit Daniel Heinsius ad Dissertationem XXXV. Quo loco vir idem non modo doctus sed etiam disertus Declamationem quandã suam recitat: quam quia delibatis ex hoc vniuerso Polemonis opere sensuum & acuminum floſculis speciosè contextam video: neque famæ autoris neque lectoris voluptati breui describendi mora seruire recusabo.

DANIELIS HEINSI.

Declamatio ex persona Euphorionis Callimachi Patris qui prælio Marathonico stans expirauit.

HOc quem videtis, Athenienses, sanguine victoriam vobis peperi. Nemo vulnera filij mei quærat. Sic stetit cum pugnauit. Dubitare possum vicerit ne moriendo, an vincendo sit mortuus. Mors certè non interrupit victoriam, sed continuauit. Bis vicit: semel Xerxem, iterum naturam. Mille vulnera pertulit: plura optauit. Totam Asiam sustinuit, nec cecidit: mortuus est & stetit. Quod potuit mori culpa natura est, quod non cecidit laus

est illius. Rerum natura tecum mihi rei est. Quare aut cœlestem filio meo animum dedisti aut mortale corpus ? Moriantur qui timere mortem possunt. Ille nec cadere potuit nec vinci, & coactus fuit mori. Ille corpus non reliquit, sed ab eo relictus est. Primus est qui natura cessit de quâ triumphauit : primus, qui viuus vicit, mortuus non iacuit : primus qui virtutis documenta post obitum dedit. qui vita spatium ipsâ morte extendit. Quo honore dignus vobis Athenienses videtur, quo præmio? Nam si fortiter in bello cadere laus est, ille & fortiter fecit & non cecidit. Quæritis an mortem timuerit ne sensit quidem. Sepulchrum ambire debeam nescio an recusare. Vtinam loqui post mortem Callimache posses, sicut potuisti vincere. Responderes hoc modo: Pro sepulchro, Athenienses, memoriam mei vobis mando. Pudet iacere inter reliquos quorum multi ante mortem ceciderunt, nemo in acie post mortem stetit. Repetunt ignaua corpora terram, & in matrem suam toto impetu feruntur. Abstine manum quicumque es, ne crudelior sis ipso hoste, qui occidere potuit, nec potuit mouere. Nemo mihi statuam erigat. Sufficit hoc cadauer. Nemo de Persis trophæum statuat. sufficit hoc corpus. Vos Barbaros virtute vicistis, ego socios exemplo. Cur torpetis manus ? Cur non pugnatis amplius ? An timetis ne quis non crediturus sit. Ego vos hoc metu libero. Non minus credent posteri pugnasse mortuum quam non cecidisse.

Hæc Daniel Heinsius. In quibus vt ingenium hominis agnosco libentissimè : ita memoriam non requirere non possum duobus in lo-

cis. Primum in ipso titulo vbi Patrem Callimachi Euphorionem vocat, cum non modo Polemon hic noster passim, & perantiquus scriptor vitæ Æschyli, sed ipse etiam Herodotus, lib. VI. disertissimè doceat Euphorionem Cynægiri non Callimachi patrem fuisse. Deinde in illa sententiâ. *Bis vicit: semel Xerxem, iterum naturam.* Quid enim Xerxi cum Marathoniâ pugnâ quæ iussu auspiciisque Darij, anno eius regni 32. ante mortem quinto, commissa, ductu Datidis & Artaphernis, initium regni Xerxis annis solidis saltem quatuor præcessit? Eoque tempore gesta est quo ne certa quidē Xerxi regnandi spes erat: cum maiorem natu fratrem haberet Artabazanem. Quem quatuor demum annis post hæc tempora Dario Histaspide in Ægyptum mouente, Paterno iudicio summotum à cogitatione regni quamuis nascendi prærogatiuâ sibi, vt putabat, debiti constat ex Herodoto. Quæ mox addit Euphorion alludunt ad Historiam ex quâ constat Athenienses post Medica omni ope conatos esse θαλασσοκρατεῖν vt primò Themistocles deinde Pericles suadebant. Quod quinto inde sextove legitur versu de manibus ferreis lucem accipit à Plinio qui lib. VII. cap. LVI. Manus hasce ferreas ait ad vsum pugnæ naualis excogitatas esse primum à Pericle: cuius temoora & ἀκμὴ facilè triginta totis annis Marathonio conflictu posteriora sunt. rectè igitur & accommodatè ad rationes Historiæ Atticæ loquitur isthic Euphorion.

AD II. ORATIONEM.

17. ὁ κοινωνεῖν puto legendum ὡς κοινωνεῖν aut quid simile.

18. Λακεδαιμονίων ἀφικνεῖσθαι. Qui sollicitati ab Athenienſibus ſibi vt in tanto periculo ſubſidia mitterent, reſponderunt ſe non poſſe in expeditionem proficiſci antequam pleniluniũ commiſſum eſſet; quod ſic eorum Religionibus caueretur. frigidè ſanè. vide Herodot. lib. VI. Mox τὴν ταχίστην τρέχειν neſcio quid habet ſimile illi noſtro *courir riſque.* ſtatim poſt. ἦγε δύναμιν ἅπασαν ὁ ἐμὸς υἱὸς πολέμαρχος ὢν κατὰ τὸν νόμον &c. Hæc ex Herodoto lib. VI. pag. 423. τῷ μὲν δεξιῷ κέρεϊ ἦγε ὁ πολέμαρχος Καλλίμαχος. ὁ γὰρ νόμος τότε ἦν ἐν τοῖσι Αθηναίοισι τὸν πολέμαρχον ἔχειν κέρας τὸ δεξιόν. Hoc eſt Interprete Vallâ. *Dextro cornu* (in acie Marathonicâ) *præerat Callimachus. Polemarchus. ita enim lex apud Athenienſes tunc poſtulabat vt Polemarchus dextrum cornu teneret.*

19. Κατ' αὐτὸ τὸ πολέμιον σῶμα. Os belli: locus aut pars exercitus pugnam committentis ea eſt vbi flagrantiſſimum eſt prælium. quo videlicet multi conſumuntur. Nec eſt noua locutio, ſed vſitata Xenophonti:imo & Homero tanto antiquiori cuius ille verſus eſt.

Ἦ ποτε πολλόμοιο μεγα σῶμα πεσεεσθαι.

20. Πεσεῖσθαι. Mendum non dubium & quidem, vt opinor typographi. reſcribendum πέσῃς.

21. Ἀγγέλλεσθαι. Alij libri ἀγαλλεσθαι legunt, quod Stephano magis placet vt ipſe teſtatur.

Verum & constructio & sententia in lectione vulgata videtur commodior. Paginâ sequenti, circa mediũ. τί τι φωνὴ αὐτῷ δότε πρὸς πίστιν σωτείας μόνην ἐν τῷ χήματι. Perintricata sunt ista. & difficile non esset quidẽ sententiam cõmodam mutando multa conficere. sed sine autoritate librorũ tantum indulgere cõiecturis periculosi exempli est. Sensum Autoris puto me in versione assecutum. librariorum σφάλματα. nec præsto, nec moror.

22. Τῶν ὐδὲν. corrige cum Stephano ὐδενός. paulo post ἢ τῷ σώματος χώμῳ corr. eodem autore τῷ τῷ σώματος &c.

23. Τὰ Κυναιγείρου. Illud τὰ δὲ aduersatium videtur esse. Atqui si hoc ita est subintricata & perplexa est oratio. & fortasse mendo non caret. quid si notetur interrogatio hoc modo τῆς Καλλιμάχου λαμπρῶν ἀρίστων τί αἰτεῖ; eo sensu quem expressi latinè.

24. Ἡ Μαραθωνικὴ δυάμις. Alia lectio non absurda; imo, vt arbitror, vera: ἢ ἐν Μαραθῶνι νικὴ ἐδυάμωσε πρὸς τὰς &c. Sexto hinc ferè versu τὸν ὅλον χὴ παντὸς &c. Stephanus reponere iubet τὸν ὅλου χὴ &c. obtemperandum censeo.

25. Ἐπιστρεμένου. Alius liber ὑπτιθεμένου sexto hinc septimoue versu ὄγκῳ τῆς ἐλπίδος sic correximus ex libris, cum in editione Stephani legeretur ὄκνῳ τῆς ἐλπίδος nullo sensu vt ipse fatetur. idemque nostram hanc lectionem valde probat. Mox τὸ ἄπειρον. legitur & τὸ ἄστρον.

26. Ἐυρὲσιν pro ἐυρήσοιν quod Stephano nequaquam placet & fortasse corrigendum est. Statim ferè sequitur μὴ κρότει ναῦν ὑπὸ Παιὸς δε-

διωγμένην. Ait nauem fugientem vrgeri à Pane alludens opinor ad tritum illud de Panico terrore. Medi enim vtique perterriti fugiebant. Mox additur. μηδ' ἔχε τριήρης σὺ ὑπὸ Αθηνᾶς ἀφελωλένης. quid sit τριήρης ἀφελωμένη, fateor ingenuè, nondum satis comperi. φέλλος Hesychio σανιδὴρ. Eustathio in odyss. 1. pag. 606. n. 20. φέλλοι vel φελάλυγες, σανιδῆρες ἀναφερόμενοι ὀπὸ τῶν καιομένων ξύλων. Hinc φελλόω in scintillas redigo apud Æschylum. Sed quid hæc ad nostrum ἀφελλόω. habet etiam Hesychius vocem ἀφελάλε quam exponit ἄνευ σανιδῆρος λαμπρᾶ. Verum nostrum hoc α non videtur hic esse στερητικὸν. Nisi forte ἀφελλῆν est ita reiicere, vt nullum vestigium relinquatur. veluti cum sic obruitur ignis nullus vt fumus aut fauilla restet. Paulo post. pro φέυγεσαν. Alius liber habebat φευγόντω. Tertio ab hinc versu additur. ἔχω δ' πνεύματα συγγενῆ. facit autem loquentem ciuitatem Athenienſem quæ quomodo ventos cognatos habuerit, docet Herodotus lib. VII. λέγεται δ' λόγος, inquit, ὡς Αθηναῖοι τὸν Βορέω ὀπ διεπρεπέα ἐπεκαλέσαντο, ἐλθόντος σφι ἄλλε χρησμοῦ τὸν γαμβρὸν ὀπίκεσθαι καλέσαντας. Βορῆς δ' κατ' τὸν Ελλήνων λόγον, ἔχει γυναῖκα ἀτθιδων Ωρειθυίην. Sed iam hæc contrita fabella est de Orithia Athenienſi puellâ à Boreâ adamatâ & raptâ. Inde hæc necessitudo & affinitas Athenarum cum ventis. Post septem versus ἔσεται χάειν. quam præclarè ad illud nostrum accidit *ſcaura gre?* Quinto inde versu ὅπως ἂν ἓν γένηται τῆς μαχαιρίων διηνεμάτων. Geminum est illud Propertij lib. 1.

Tuquoque vti fieres nobilis Historia.

27. Τὴν ἧτταν ἀνεκαλέσαντο legitur & ἀνεμαχέσαντο.

28. Ὧ ἀγὼ τὸ συμβαὶ &c. ludit in etymo nominis Cynęgiri quod videtur ductum ἀπὸ τῦ κύνας ἀγαίρειν à cogendis & congregandis canibus tamquam ad venationem, quæ exercitatio remissionis causâ quæri solet propterea ait nomen ipsum declarare futurum illum πάρεργον Barbaris. porrò connexio ipsa verborum & ratio συντάξεως subintricatior hoc loco est. Paulo post. ἦν γὰρ ἄλλων πολεμάρχων. Non sumit hîc hanc vocem propriè. nam ita vnus erat in exercitu Polemarchus vt supra ex Herodoto probatum est. Sed velut appellatiuè pro duce quouis ac magistratu militari. Respicit porrò hic locus Narrationem Herodoti quem consule lib. VI. pag. 422. Edit. 2. Stephani. Post 12. versus. ἀγαθὸς μὲ γὰρ στρατιώτας πολλὸς εὑρήσεις Μακεδόνας. Iam tum igitur fortitudinis bellicæ gloriâ celebres erant Macedones. nisi hoc Rhetori excidit ex notitia Alexandri & Macedonicorum temporum tantò posteriorum. Mox pro ἀνείκασον legendum putat Stephanus ἀνίκητον sed tamen ἀνείκασον ferri potest.

29. Πρὸς βίον τρέχοντας. vitæ munere & beneficio. πρὸς βίον est hic *per vitam*. Sic illa πρὸς ὀργὴν πρὸς φθόνον, quæ exponuntur *per iram, per inuidiam*. Post quinque aut sex versus ὦ νησον βεβαιότερε. Narrat Herodotus lib. VI. inter prodigia quæ bellum Persicum præcesserunt fuisse cõcussionem insulæ Deli subito terræ motu, iuxta illud oraculum.

Κυπρου καὶ Δῆλον ἀκίνητον περιέουσαν. Huc respexit Polemon cum firmiorem insulis Callimachum dixit.

30. Τυπὸς δὲ πολύζηλος &c. Videndus Herodot. lib. VI. vbi narrat Epizelo apud Marathonem contra Persas acerrime dimicanti apparuisse speciem quandam ingentem armati viri faciem scuto occultantis. ex quo visu cæcus deinde remansit Epizelus. Noster autem hic ait spectrum illud fuisse animam Callimachi ipso mortuo adhuc pugnantem. Post 4. versus Ατθικὴ καὶ Πελοπιδῶν. forte legendum Ατθικὴ καὶ Πέλοπος χθὼν. quamquam quomodo Attica Pelopis terra vocari possit non satis liquet. verum illnd Πελοπιδῶν non placet.

31. Τῶν Καλλιμάχου βλημάτων. Absurda esset & immoderata Hyperbole. si Callimachum mortuum non stetisse solum sed iaculatum in hostes, multos que illorum occidisse diceret. quare βλήματα puto hîc passiuè accipi. vt βλήματα Καλλιμάχου sint tela qvibus Callimachus petebatur quæ cum à scopo aberrarent. Medos aliquos forte illi circumfusos vulnerabant & sternebant. Pavlo post ὃ δέσποτα Δαρεῖε, ἐκ ἀθανάτου ἀνθρώπους ἡμᾶς ἱστᾶσας. faciunt huc Elegantes Pantelei versus quos hic ex Stephano describam.

Ω κενεὸν κομπάτοιο, καὶ ἀφρήκτου πολέμοιο
Ημετέρῳ Βασιλῆϊ τί λέξομεν ἀμπάσαντες;
Ω Βασιλεῦ, τί μ' ἔπεμπες ἐπ' ἀθανάτους πολεμίζειν;

Βάλλομαι, ὑ πίπτω· πεζώσομαι ὑ φοβέομαι.

Μὴν ἀνὴρ σύλησεν ὅλον στρατόν· ἐν δ' ἄρα μέσσῳ

Αἱματόεις ἕστηκεν ἀτειρέος Ἄρεος εἰκών.

Δένδρον δ' ὡς ἕστηκε σιδηρείαις ὑπὸ ῥίζαις,

Κὐκ ἐθέλει πεσέειν. τάχα δ' ἔρχεται ἔνδοθι νηῶν.

Λῦε κυβερνήτα, νέκυν φεφύγωμαι ἀπειλάς.

Hæc idem Stephanus sic Latinè vertit.

Tentata ô vano belli fortuna labore!
Heu regi nostro quæ fari verba queamus!
Cur Immortales, ô Rex, nos mittis in hostes
Quos non prosternunt ictus, non vulnera terrent,
Vnus totum agmen spoliauit: ibique cruentus
Permanet indomiti veluti Mauortis imago.
Et stat tamquam arbos radix quam ferrea firmet.
Ac renuit labi: fors classem irrumpet in ipsam.
Solue, age, solue. minax fugiamus nauta cadauer.

Ita Panteleus. In quibus multa etiam agnoscere alia licet quæ sparsim in hâc oratione leguntur.

32. Βασιλεὺς δὲ ἰδὼν &c. Constat longè abfuisse Darium Regem à Marathone dum ibi pugnatum est. An ergo hîc βασιλεὺς vocatur Datis vt sit idem quod στρατηγός? An potius idem valet ac *Regius miles*. consimili figurâ illis contritis. Romanus, Macedo. &c. pugnauit, vicit cepit & similia. ita vicit Xerxem Themistocles cum eius tantum exercitu congressus. Quidni enim eodem iure quo domus Vcalegontis Vcalegon dicitur, etiam exercitus nomen Ducis & Regis sui gerat? denique notum est illud Pelei apud Euripidem in Andromachâ.

Οἵ μοι καθ' ἑλλάδ' ὡς κακῶς νομίζεται
Ὅταν ξόπαια πολεμίων στήσῃ στρατὸς,
Οὐ τῷ πονήσαντ' ἔργον ἡγεῖται τόδε
Ἀλλ' ὁ στρατηγὸς τὼν δόκησιν ἄρεται.

Ad eo quæ exercitui toti conueniunt vni duci aut Principi vindicari olim recepta consuetudo est.

Paulo post. ὃ σημεῖον πολέμῳ πέρας. legitur & πίρας minus rectè.

33. Ἀπειλητήρων. Alius lib. ἀπειλητικῶν quod Stephano magis placet. Post 12. versus γενναῖόν ἔστιν λαμπρὸν, καὶ τόσον ὑπὲρ τῆς πατρίδος σπουδαῖον ὡς ὑπὲρ αὐτῆς προίεσθαι οἱ ὅτι θάνατον τὼν ψυχήν. Ex his exculpsi sententiam quam potui. cæterum corruptus, opinor, locus est. quid enim illud οἱ ὅτι

θαύματι. Stephanus τὸ οἱ expungendum censet. Mihi veniebat in mentem commodius fore si legeretur οἷον ἀπόθλιμμά τι τῆς ψυχῆς. vel οἷον σύτισμά τι vt scilicet exprimatur promptitudo animi quâ vitam patriæ causâ profudit Callimachus, animæ nihilum magis parcens quam cuilibet rei vilissimæ.

LAVS DEO.

COMMVNICATIO
PRIVILEGII REGII.

EGo infra scriptus Prouincialis Societatis IESV in Prouinciâ Tolosanâ, Ex vi Priuilegij Regij, permitto Arnaldo Colomerio Regis & Academiæ Tolosanæ Typographo, vt *Polemonis Sophistæ Orationes Latinâ Paraphrasi & Notis illustratas*, à Petro Possino nostræ Societatis, typis edere & diuendere in quinquennium possit.

IOANNES FILLÆVS.

Perfecta est Editio eid. Nou. Anno 1637.

BIBLIOT... NAZ. ROM... VITTORIO EMANUELE



14!